



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Miraculorum Virginis Liber. Primus Ab. Hercule. Vincemala latine scriptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](#)

MIRACVLORVM
VIRGINIS

LIBER: PRIMVS

AB. HERCVLE. VINCE M A L A
latine scriptus.

MIRACVLVM PRIMVM

Iudeo Virginis clementia manus restitutae sunt, quas amiserat, ob illatam iniuriam ipsius reginae corpori, dum eius fūnus efferretur.



AM purissima, & candidissima Virginis anima ad coelum euolarat; dū hīc in terris sanctissimi corporis funus moesti Apostoli, ac lugubres piē, sancteq; honestabant. Ausus est autem Hebraeus nefandas, & impuras manus sanctissimo feretro iniijcere, ubi diuinū illud corpus continebatur, quod paruo post momento in coelum adsciscendum erat. Verū ille temeritatis tātae statim precium tulit, cui non aliter immanes, atq. impiaē manus conciderunt; ac si eas robustissimus aliquis dedita opera desecuisset ad unum gladij iectum. Quare miser, quam graue piaculum admisisset, suo malo persensit; & ab ipsa pietatis parente detestabilis sceleris ueniam petens, illam coram hominib. coepit praedicare. Praeterea optimē intelligēs, quantopere eius nomen uerendū esset; continuò fassus est, illam

A Virgi-

MIRAC. VIRG.

2
Virginem immaculatissimam; atq. omnino mutatus,
in eam laudes conferebat, quā prius ludibrio habue-
rat. Ipsa igitur, quae miserorū p̄ces uocata audit, He-
braeo manus restituit; eidemq. christianaē fidei lumē
praetulit, cui frusta impij Haeretici tenebras of-
fundere conantur, & cuius lucem frusta scelesti præ-
stringere studēt. Veluti enim noctuae, perfidi latitāt,
ac misere ingemiscunt, luce illa oblata, quā Christus
in cruce excitauit; quae in castissima Virginis alio
effulxit, & qua omnia deniq. illustrantur.

MIRAC. VIRG. II.

Sancte celebrandum esse conceptionis diem.

Gvielmus Britanniae rex, audiens à Dacis ma-
ximum exercitum comparari, ut in Britan-
niam irrumperent, illuc Helsimum Abbatē
summae sanctitatis uirū legatum misit. Ille fideliter,
& egregiè legatione, quam obierat, perfecta, pacisq;
foederib. ictis, in patriam redditum parat. Nauim con-
scendens, idoneum, ac leniter flantem uētum naētus,
mirifica maris tranquillitate, dimidiam ferē nauiga-
tionem confecerat; cūm saeuissima tempestas repente
coorta est. Quamobrem nulla salutis spes reliqua fa-
cta fuerat; sed traistris, antemnis, prora, maloq; disie-
ctis, omnia mortem minabātur. Vedit ergo Helsimus
in medio mari statim sibi oblatum uirum, cuius augu-
sta erat, ac decora facies; quiq. habitum, & ornatum
pōtifici similem habebat. Is naufragiū patientē forti,
bonoq.

A

LIBER PRIMVS.

3

bonoq. animo esse iussit', desperatam salutem Virgi-
nis nomine, ac uerbis promittens. E trucib. hisce tem-
pestatib. saeuissimisq. procellis te, illa, inquit, quā sem-
per coluisti, eripiet; te ipsa à mortis limine, atq. ab exi-
tio, quod impendet, vindicabit. At tu purē fidem da,
te semper posthac, quandiu uixeris, diem illum, quo
ea concepta fuit, qui vj. eid. Decemb. aduenit, solem-
niter celebraturum; & etiā daturum operā, ut oēs di-
gno honore colant, ac prosequantur. Monuit præte-
reà Helsimū, ut eo die obseruaretur idem sacrae pre-
cationis ritus, quem Romana ecclesia eiusdem Virgi-
nis nativitatis diei præscripsit; mutatis nominib. tan-
tum; ut à nativitate conceptionis fiat distinctio. Eu-
sat igitur, & elapsus fuit è tanto periculo; & aduenien-
tem quotannis diem illum, sanctissimè coluit.

MIRAC. VIRG. III.

*Hoc etiam miraculo hominib. festus conceptionis dies com-
mendatur.*

Consueuerat clericus quotidie dispertitis ho-
ris, ineunte statim die, ac sole dilucente,
hymnis Virginem uenerari. Is et si statuerat
postea se ceteris ordinib. gradatim addicere; tamen
assiduis precib. affinium, de uxore ducenda cōsilium
inivit. Quare cū dicta esset, & praestituta nuptijs dies;
iam reidiuinae unā cum sponsa interfuerat, & de mo-
re, Ecclesiae eq. instituto ea oīa sacerdos sancte pree-
stiterat, quae in tanti ponderis sacramēto opus sunt.
Sensit autem adolescens, se quādam illarū precatio-

A 2 num

MIRAC. VIRG.

4
num partem ommisissē, quas quotidie offerre consueuerat. Dum recta igitur domum properantes ceteri sponsam comitarentur; ipse se in templo abdidit; ut quae erant peragenda, attentē perficeret. Vbi ad ea uerba peruenit, Pulchra es, & decora filia Hierusalem, pulcherrimam coeli reginam, Angelis comitatam, clarissimaq. luce fulgentem uidit: quae ita sydereō ore leniter locuta est. En iuuenis me pulchram dicis, & appellas; tamen ad alteram spōsam animum confers, & appellis? qui id fit? quae nam haec est mutatio? quae mens tua est? q. animus, aut cogitatio? Adolescentis, qui iam diuino fulgore fuerat perterritus, ut se collegit, ita coepit respondere. O mater, cuius diffuso lumine coelum micat, & effulget; quae sola mortalib. potuisti tranquillam pacem afferre; cuius solus natus mortis, & Satanae furores repressit, quid mihi imperas? quid iubes? tuum est, ò regina, dicere quid optes; meum est recte curare quæ uelis. Ad uoluntatē tuam, ad nutum tuum me semper paratum habebis; tibi parere ualde exopto. Scio equidem, te magnopere eniti, ac laborare; & id unum agere, ut tandem tecum immortali aevo, aeterna cum tranquillitate frui possim. Illi ipsa in mandatis dedit; ut animum penitus à mortali illa sponsa abduceret; altiusq. illum ad purum, castumq. uitiae genus efferret; quod si fecisset, pollicita est, se illi connubio stabili perpetuam sponsam futuram. Haec omnia cùm ipse probasset, & ad eius sententiam lubentissimè accessisset, eundem hora tata est, ut conceptionis diem coleret, & ueneraretur; laboraretq. etiā ut hoc itidē alij faceret. Eius rei prae miū, illi in coelesti regno gloriā sépternā promisit.

MI-

MIRAC. VIRG. IIII.

Tertio hoc miraculo conceptionis festi diei auctoritas confirmatur.

Gallus sacerdos ex intimo sensu, mirumq. in modū Virginem colebat: nullumq. diem intermittebat, quin eximias eius laudes, hymnosq. ex ecclesiae instituto purè ac religiosè recensebat. Forte autē acerbissimi hostis nostri impulsu adulteriū in proximo suburbano admiserat. ut verò domū rediret, Sequana lyntre transilienda erat. Vbi nauiculam concendit; ut erat ei in more positum, coepit pre cationi operam dare. Quarē, cūm uix ad ea uerba matutinae obsecrationis peruenisset, AVE MARIA, uenite exsultemus; ab innumerabili cacodaemonum numero in medio flumine submersa fuit nauicula. Miser ideo undarū ui, atq. impetu examinatus est; cui statim lumina morte lāguerūt; anima uerò à turpib. il lis belluis abrepta fuit ad perpetuos cruciatus perfērēdos. Tertiō post eius obitū die, Virgo innumerabilium Angelorum choro stipata accessit illuc, ubi impij miserum crudelissimè torquebant, & excruciantibant saeuissimo. & inaudito supplicij genere. Quae rente ipsa, quid tam crudeleis poenas ab illo exigentib; facui tortores responderunt, id sibi iure liceat, atq. optimo iure permitti. Cūm. n. in scelesto operare tunc deprehensus esset, dum è corporis uinculis solutus est; absq. iniuria, sacerdotem aeternis poenis & meritō fuisse adiudicatū, clamabat. At Virgo, si haec anima,

anima, inquit, eius ditioni addicta esse debet, cui moriens operam dabat; quis est, qui meam esse, negare audeat? quiq. ullam mihi faxit controversiam? & aduersetur? Negabatis ne, quin mihi inferuiret, quin mea caussa occupatus esset; si me precabatur, si aliquaquebatur, & appellabat? Audito almae uocis dulci sono, mitibusq. & suauissimis illis uerbis, quib. coelū solet exhilarari, euanuerunt tetri cacodoemones turpiter, atq. indecorè ingemiscentes. Praetereà è diuino cōspectu fuga disiecti fuerunt, nō aliter, atq. atræ nubes, uel nigrae umbrae, quas lucidus sol, uel candens, aer dissipat, ac discutit. Pauētem uero animam in imo sequanae fundo clementissima exsangui corpori reposuit; ad cuius nutum ab imo, usq. ad summum ita separatae fuerunt, & diuisae aquae; ut ad ripas eundi statim sacerdoti idonea occasio oblata fuerit. illum praetereà Virgo amanter, ac benignè monuit; ut se ab adulterio posteà contineret; nec se turpisimi eius peccati labe amplius inquinaret: ne quid accideret deterius. Eadem etiam suasit, ut conceptio- nis diem coleret. His dictis, ipso aspiciente, in coelum conscendit. Quarè sacerdos quaerens solitudinem, à mundo secessit, conceptionis festo diei diuinorum, atq. immortaleis honores largiens.

MIRAC. VIRG. V:

Miles, dum rei diuinæ interest, cùm adesse proelys oportebat, in acie acriter pugnans uisus est.

Milles Virgini deditissimus!, dicta cū hostib. die, ad praelandum proficiscens, in ipso itinere ingressus

LIBER PRIMVS.

7

ingressus fuit aedem ipsi Virgini sacratam; ut rei diuinae interesset. Verum, cum alij alijs sacrificia facturi succederent, erat. n. ibi magna sacerdotem copia, omnibus adesse statuens, longum ibi tempus consumpsit; ita ut proelio dirempto, pugnae finis factus fuerit. E templo ad copias proficisciens, suos redeunteis uidet laetitia plenos; uictoriāq. donum, & in patriā decorē afferenteis. Multi autem uictorū ipsi obuiam laeti concurrebant, eximiam eius uirtutem laudib. illustrantes; quod tam egregiam, ac strenuam operam in illo conflictu, & dimicatione nauasset; quod dq. singularia militaris uirtutis exempla edidisset. obstupecebat ipse, sed alij etiam, atq. alij id apertè testabantur, dicentes, ipsum inter agmina fortiter manum conseruentem uisum fuisse. Pius miles, qui tantam sibi gloriam bellicae laudis comparatam esse intelligebat; cum tamen nunquam hostem uiso, nec classicis auditis, eius congressus omnino fuisset expers; id sibi diuinitus accidisse intellexit. Quare, quod uitae reliquum fuit, totum sub felicib., & faustissimis Virginis signis, non sine immortali gloria militauit. Praeterea sub illo imperatore stipendia gesit, quem nulli bellorum apparatus, aut hostium minae terrere possunt; qui deuītis uniuersis pruincijs satanā debellauit; eiusq. opes disiecit, ac contrivit. Discant oēs hoc exemplo; quām longē à recta ratione soleant illi aberrare, qui uel minimum temporis negotijs suis detrahere grauantur, dum animo, ac mente rem diuinam facientib. breuisimum tempus adsint, eosq. audiant. Quid. n. mortali cuiquam potest diuinius accidere; quām cum illos audit, uidetq. qui ornatum, habitumq. humano augustinorem,

stiorem, sacrosanctum Christi corpus manib. gerunt; statioq., & solemnī illo sacrificio ante hominū conspectum efferrūt? Nullum, itā me Deus amet, tempus, nullaq. opera melius usquam cōsumitur. Quinimmo à christianis hominib., catholica fide purē imbutis, hoc primūm quaerendum est; cūm alia soleant postea felicissimè adjici. Hoc autem & quotidie nobis re ipsa comprobatur; & ratio ipsa docet. Quis enim nō fortunatè euenturum sibi illum diem intelligit, cuius initium sit à sacris?

MIRAC. VIRG. VII.

Simplex mulier, cuius filius in vinculis adseruabatur, è uirginis statuae gremio infantem abstulit; ut sibi sui restituendi illa esset adiutrix.

VNICUM filium, familiae, ac senectae suae columen deliciasq. suas mulier habebat, in quo se oblectabat, in quo spem omnē sitā habebat. Is inimicorum odio, ac liuore, ob falsae accusationis crimen in carcerem detrusus; & in duris compedibus reuinctus est. Misera mulier pastis crinib. lacrymans, ad misericordiae, & pietatis reginam confugit; desperans, unquam futurum, ut filius absoluueretur, ni ipsa opem tulisset. Cūm saepius eius fidem, obtestata fuisset, se posteā moerore, & lacrymis conficiens, animum simplex despondere coepit. erat autem fortè Virginis statua, tenens infantem filiū in gremio; ad cuius pedes, pietatis caussa, saepè se proij cere ipsa consueuerat. Ex illius igitur statuae gremio misella

misella infantem natum abstulit; illum in penitissimis
aedium partib. diligentissimè adseruans; atq. animo
statuens, se illum tanquā obsidem habiturā. Et pro-
fecto coelesti Reginae filiolum minimè restituere de-
creuerat, prius, quām suus redijisset domum. Quare
Virgo noctu effracto carcere matri filium domum di-
misit; illi edicens, ac iubens, ut de ea re matrem cer-
tiorem faceret. Cūm n. ea uoti sui compos facta fuisset,
& quod tam anxiè petierat, fuisset impetratum;
aequum esse dicebat clementissima; ut & sibi suus na-
tus, quem secum tanquam obsidem mulier tulerat, re-
stitueretur.

MIRAC. VIRG. VII.

*Fur ligno totum triduum suspensus, uitam tamen Virginis
benignitate, conservat.*

LIcet quidam furtis, ac reb. alienis contrectādis
maximè deditus, & quasi natura ipsa effectus
effet; maxima tamen studia, atq. officia ad Vir-
ginem colendam, & obseruandam conferebat. Tandē
uerò in furto deprehensus, publico iudicio, morti dā-
natus est. dum suspensus fuisset, abiit carnufex, exi-
stims, se illi laqueo gulam effregisse; abieruntq.
una omnes crudelis supplicij spectatores. Sed Virgo
ità adfuit misero totum triduum pendi; ut incolu-
men eum seruarit. Triduo post illa transiens carnufex,
illum uiuum reperit; idq. factum existimat, quod
non resti, uti oportebat, arctius collum fuisset perstri-
ctum. Quarè impius ut sunt huiusmodi homines, quē

B fune

monina

fune necare non potuerat; telis conficere conatur. Ve
rūm, et si crebri telorum cuspides in illum conijciebā
tur; omnes tamen letus Virginis iussu, irriti reddeban
tur. cùm id non sine diuino numine accidere uidere
tur; eo tempore in homine inhumano spectata pietas
enituit. itaq. bēnignè demissus est, dissolutisq. uincu
lis abiit: ne crudelitas in illum exerceretur, cuius salu
tem, ut ipse praedicabat, Virgo tuebatur. Neq. uero
tam immortali beneficio affectus, ulla fuit in mora;
quin statim quicquid uitae, singulari reginae clemen
tia, dilatum fuerat, totum eius filio piè, ac sanctè dica
ret. Quinimmo statim sibi delegit in coenobio purū,
& integrū uitae genus, in quo maximè quotidie pro
ficere nitebatur.

MIRAC. VIRG. VIII.

*Quidam, dicta nuptiarum die, à mortali sponsa ad immor
talem desciscit.*

Clericus, qui unicè Virginem sanctissimā uene
rabatur, quiq. in eam laudes mane, meridie,
vespere, & noctu conferens, totus erat in san
ctissimis obsecrationib., innumerabilium diuitiarū
heres relinquebatur. Reliqua n. proles parentes de
fecerat; qui praeter illum, neminem habebant, unde
nouae stirpis genus reuocaretur. Cum illa parentes
ipſi, & affines studiosissimis precib. egerunt, ut uxore
duceret, ne familiae illius nomen extingueretur. id
sibi suaderi, atq. in animū induci, passus est; non n.
lubenter, sed ut suis rem gratam faceret, ad uxorem
animum

animum appulit. Eo die, quo celebrandum erat con-nubium, ipse templum adiuit; & ad Virginem manus extollens, illam orauit, & obtestatus est, ut quas offrebat preces, benignè audiret, atq. exciperet. Ipsa uero se iratam obtulit; & ita locuta est, egregiam uero laudem; quam pulchre datam fidem praestas? quam eximiè qua e pollicitus fuisti, nunc persoluis? te uni mihi dicaras, & adiunxeras, nunc aliam perfide super ducis? His almae Reginae uerbis auditis erubescens iuuenis, ualde commotus est; & statim, quam imprudenter faceret, uerè persensit. Domum igitur rediēs, simulansq., cum noua sponsa uelle nuptias perficere, noctu abijt, & ad summae sanctitatis, & spectatae famae coenobium se contulit; uitamq. ibi puram, & castam degit, sub purissima e, & in comparibilis spon-sae fide, ac tutela.

MIRAC. VIRG. IX.

A sacrorum administratione remotum sacerdotem, sibi deuinctum, Virgo restituendū iubet, episcopo, qui eius rei causa fuerat, mortis supplicium comminans.

LIcet sacerdos quidam multarum piarum anima rum custodiae, praeesset; ita tamen erat litterarū imperitus; ut praeter solemneis ritus rei diuinæ Deo ad Virginis laudē facienda, ignoraret, quae minimè desiderāda sunt in tāta dignitate cōstitutis. Ceterū sacrificia facere ad Virginis memoriā lōgo usu & exercitatione didicerat. imperitiae crimi ne apud episcopū accusatus; ante quam de se periculū fieret,

B 2

fieret, id ipse confessus est; quēm īcīrco episcopus à
factorum administrationē amouit. Sed postero die
Virgo in somnis episcopum acriter accusans, uehe-
menter ei minata est; futurum dicens, ut intra tridū
moreretur, ni sacerdotem suum, ad eam dignitatem
iterum extulisset; quā seuerē agēns illi interdixerat.
Episcopus accito sacerdote, cūm priūs se illi multis
uerbis purgasset, eum sacrī restituit: sanctumq. & ho-
nestum studium rei diuinæ ad Virginis laudem Deo
faciendæ summōpere laudauit; suadens, ne ullo un-
quam tempore à tantae Reginae cultu abscederet.

MIRAC. VIRG. X.

*Clericus non admodū spectatae uitae, paruo momento, Vir-
ginis beneficio immortali, sancto afflatus contactus, sibi sanctū
uitae genus instituit.*

Licet à uia recti paullulum declinaret clericus;
in eo tamen pium institutum inualuerat; ut,
dum Virginis laudes canticis recenseret, sem-
per stans, nunquam sedens uisus fuerit. Fortè is, dum
noctu somnum cepisset, ante Seruatoris tribunal, hor-
ribili insomnio in iudicium nocari uisus est; & ob de-
testanda flagitia, quibus fese quotidie inficere, & in-
quinare pergebat, morti damnatus, aeterniq. suppli-
cij poena reus peractus est. Sed lucidissimū coelide-
cus, piaq. humani generis patrona, quae propè iudicē
confidebat, assurgens, ita locuta est. Heu, dulcissime
fili, licet te huius miseri uita parū integrē adhuc acta
ad iram, atq. odium impulerit, & incitarit; illud tamē
pro

pro meo erga te amore, depone ac leni; tuaq. clemencia perditum iuuenem, iam infernis poenis iudicatum, uitae restitue. obsecro te, infelix iste studiosissimus parentis tuae precib. condonetur; quae tecum eius causa suppliciter agit. Posthac enim se ab omni re turpi, & obscura continebit; optimusq. uitae cursum capiet; ac tibi, pijs, egregijsq. facinorib. placere semper studebit. sanctissimae genitricis uerbis totus placatus, conuersaq. ira in ardentissimam pietatem, sydereo illo ore, quo serena ac laeta omnia fiunt, tibi illum, inquit, pia mater habet, corrigere, argue, increpare; ut optimo cursu uitam posthac ineat, ac prosequatur. Quarè mater filio maximas gratias egit. Iuueni uero ius sit, ut meliorem uiuendi rationem iniret, & in uiam rectam rediret; ne in grauius aliquod discriminem adduceretur. Quod expperrectus, illo insomnio diligenter perpresso, ipse posteà semper praestitit, Virginis dicto audiens.

MIRAC. VIRG. XI.

Theophilus desperatione adductus, se Satanae dediderat, à Christi fide deficiens. Sed Virginis ope tanti sceleris uenia impetrata, à Christo iterum in fidem receptus est.

Theophilus Siculus, anno à partu Virgineo edito, id. xxxvj. cuiusdā episcopi uices gerebat; & ita sibi omnium animos, ob singularem uitatem, egregiamq. probitatem conciliarat; ut, cum uita functus esset episcopus, uno omnium ore, ac consensu episcopatu dignus fuerit iudicatus. At ipse, qua erat modestia, solo proepiscopi munere, quo iam fungebatur,

gebatur, contentus, ut alteri illa dignitas deferretur, paſſus est sed pro tā liberali munere, ingratitudinis pretium tulit. Episcopus. n. nouo delectu factus Theophilum, cui iam aditus ad episcopatum patebat proepiscopatu priuauit. beneficu m uirum, licet sibi per eum ad episcopatus gradum uia structa fuisset, iā adepto honore submouit. Quarē tanto animi dolore Theophilus perculsus est, ut impio Satanae idoneā ftruendarum fraudum occasionem ostētarit. Eo.n.est furoris, ac dementiae miser adactus; ut Iudaeum magum, & ueneficum consuluerit; quō modo posset ad ammissam dignitatē iterum sibi aditus patere, Sce leſtus, magus, cacodaemonib. ex imo Auerno excitis, in eorum uerba infelicem iurare coegit. Theophilus amenti furore coecus, statim purae Romanae catholicae fidei hostis factus, à Christo ad impium Satanā desciscens, nefario monstro se dedidit. Heu quis captae menti rationem, aut modum potest statuere; ubi de defectione à Christo cogitatum est? Quidnam est tam atrox, nefandum, & inauditum; in quod non incidat, nō incurrat, nō prolabatur is, cui est in animo discedere, à uia, ueritate, ac uita? Infelix, amens, consilij inops, propria manu chirographum conscripsit, proprio ānulo obsignauit, quod traditum est cacodaemoni, ut nefariae deditioſis contractus firmior esſet, & ualidior obligatio. His ita peractis, dolis, & arte sceleri Magi, Theophilus denuò amissō munere fungi coepit. neq. uero, ut diu in tam perditae inscitiae ſitu, & iqualore, captus, & irretitus iaceret, Virgo ferre potuit. Ille.n.diuino afflatu contactus statim resipiscēs, & grauiſſimam culpam lugēs, Virginem quām potuit suppliciter

LIBER PRIMVS.

15

suppliciter rogauit, ne sibi in tanto periculo deesset; sed fidem suam praestaret. At ipsa, cuius est infinita clementia, quae nobis in nostris tempestatibus tranquillitatem affert, se eius precibus faciliter praebuit; filiumque pro Theophili salute implorauit, apud quem nunquam frustra preces suevit fundere. Illi ergo Dei mater sua sit; ut à cacodaemonie deficiens, turpem promissionem illi turpissem factam dissolueret; fidemque prius Christo datum tueretur; quaeque antea, catholicae ecclesiae, sanctè, & purè promiserat, exitu praestaret. Id cum ipse absq; ulla mora, alacri animo fecisset, statim in summi Regis gratiam rediit; & ab eo amanter, ac benignè fuit receptus. Ut autem bono, & laeto animo esset; & aliquo signo comprobaretur, uerè nefandi sceleris noxiā dimissam fuisse; ipsa Virgo eruptum hosti chirographum attulit, quod Theophilus ad maius dedicationis argumentum conscripserat. Poterat n. intelligi, dissolutum esse contractum, restituto a creditore ipsi debitor i chirographo. Tā caecis igitur tenebris, Virginis misericordia, tam lucidum lumen repente oblatum uidens, ad assiduum fletum recordatione, ac memoria eorum, quae admiserat impulsus est: cumque lugendi nullum finem, aut modum unquam faceret; resipiscens, ac poenitētis animi eximijs indicijs editis, ex hac mortali uita cessit, migrans, ut credere piū est ad immortalem, & sempiternam.



MI-

MIRAC. VIRG. XII.

*Mulier igni damnata, licet in ardenteis flamas coniecta
effet, Virgine tamen adiutrice, ex illis intacta evasit.*

Anno à liberatore, ac seruatore nostro edito, millesimo centesimo, spectatae integritatis coniuges Galli patria Lugdunēs uniam natam habebant, quam plus oculis suis amabāt. Illam aequali adolescenti desponderunt. Sed quia filiae desiderium minimè ferre poterant; nec poterant pati, ut à dulci conspectu diuelleretur; domum ipsum generum traduxerunt, ut una adiungeretur ac fieret familia. Hunc cùm socrus ardentī, honesto tamen amore prosequeretur; maledici, & rabulæ eam turpi amoris flamma exuri, & flagrare dicebant; eaq. fama per totam illam regionem uagabatur. Misera socrus molestè ferebat, sibi tantam infamiae notam inuri, & se iam in maledicorum uoculas esse cōiectā. Quamobrē stulta, Deo ac diuinæ iustitiae diffidēs, ad eam insaniam peruenit; ut cogitare inceperit, de genero è medio tollendo. Initio igitur impio consilio, rem ipsam nefandam, & inauditam aggreditur, & in generum iram omnē euomit. Comparata n. pecunia, qua duos rusticos corruperat, illi locat insidias. Secerat fortè pater cum filia, animi gratia, in proximum suburbanum. Delecti ad facinus agrestes, & ferocissimi in abdita, & obscura aedium parte abditi, generum illuc à socrū, dedita opera missum strangulant. Villici, patrata caede, abeunt; socrus autem eum in lecto

lecto exsanguem ita collocat; ut non mortuum sed dormientem, & somno oppressum dices. Cum in urbē una cum filia, pater rediisset, parato iam a socrū prādio, heus, ipsa filiae inquit; uirum tuum ad prāndium uoca. At misera, marito in lecto mortuo reperto, exanimis concidit; quae ubi ad se rediit, repleuit cōclum querelis & clamore. Nefanda uero caedis conscia, & ipsa feminea arte lacrymas uī expressit; ita ut tecta, aedesq. femineo ululatu replerentur. Per urbē rumor perfertur, & ubi illud ab ijs qui adolescenti gene re proximi erant rescitum est, socrum in iudicio, uti suspectam criminis accusant. Reām itaq. peractam, & indicij uictam, poenam sequi oportebat, ut igne cre maretur. Die constituta, quae ad supplicij locum deducenda erat, templum Virgini sacratū, quod in ipsa uia erat extructum, adiuit, Virginem piē, ac sancte inuocans. Illuc perducta, extructa pyra in ignem coniicitur; cumq. per aliquod tempus in ea morata fuisset, ligna omnino combusta fuerunt; neq. ex illis flammis ullum mulieri detrimētum allatum est. Quarē aduersarij iterum taedas, faces, atq. alia ligna super addenda curauerunt. Verū eorum conatus nihil ef ficit, ab igne diuinitus muliere seruata. Maxima illi ira perciti illam, quae iugo absumi non potuerat, ferro, ac telis conantur perfodere: quorum impetū præ tor, ac iudex reprimēs, ab omni ui, atq. iniuria eos iubet abstinere. Eam uero iudices publico iudicio ab soluerunt, indignum facinus existimantes, eam homi num sententiis perdere, cui diuino iudicio salus affrebat. crepta deinde ipsa ē flāmis, ac summa virginis, & filij clementia seruata, tempus nācta est eorum di-

C ligenter

ligéter perpendé dorū; quae in toto uitae cursu admis-
serat. Quamobrē non sine intimo animi dolore ante-
aetiam uitam, si quid minus purè aut minus piè gesse-
rat, desfuit; & triduo post extremum diem obiens,
commigravit ad meliorem uitā. *Quis autē est ita sto-
lidus,* qui non censeat ab ipsa, cūm templum illud in
itinere adiuit, tanto animi ardore eorum quae deli-
querat, misericordiam fuisse imploratam ab immor-
tali rege; ut immortale illud beneficium ad Dei, Virgi-
nisq. gloriam fuerit consecuta?

MIRAC. VIRG. XIII.

*In Cisterciensis sepulchro, angelicae salutationis uerba AVE
MARIA, aureo litteris cädidissimo lilio in scripta reperiuntur.*

Eques Illustri genere ortus, magnisq. diuitijs af-
fluens, diuino afflatus instinctus, ab ijs reb. se-
cessit, quas pleriq. hominū maximis uotis exo-
ptare, magni q. aestimare solent; ac se Cisterciensium
ordini adstrinxit, licet autem spectatae esset probita-
tis ac pietatis, quām minimē dubijs signis indica-
rat, tantis opib., ac fortunis ultrò contemptis; literarum tamen omnino erat imperitus. Eam rē Ci-
stercienses iniquē, & aegrē ferentes, quōd tantus uir
perpetuo inter priuatos, famularesq. coenobitas, ob
imperitiam connumerandus esset; illi litterarū magi-
strum compararunt, qui unū illud ageret, & omne stu-
dium, ac industria in eo erudiendo poneret. Et si in
ea re diu laborauit, periculumq. de eo magister fe-
cit; ita tamen ille compertus est ἀσθεκαλος, ut ne-
mi-

minimum quidem elementum potuerit condiscere. Quinimò eius memoriae nihil unquam inculpi potuit, praeter duo verba sanctitatis plena, A V E M A R I A; quae semper stas, sedens, ambulans, omni tempore mometo in ore, atq. in aro fixa habebat. Quarè quādiu uixit, inter priuatos, qui alijs inferuiunt habitus est; cùm minime sacris ob litterarum imperitiā se immiscere; nec munere Sacerdotio fungi posset. Sed profecto, licet illustris esset, ac nobilissimus incredibili tamen animi submissione, ac mansuetudine excellebat, semper ea faciens, quae ab ordinis praefecto imperabantur. Neq. uero ex illo quicquam audiebatur, praeter duo illa diuina, & Angelica uerba A V E M A R I A; nec ex eius ore quicquā aliud manabat. Tandem cùm è corporis vinculis euolasset, eius cada uer in sacratis septis, ubi ceteri sepeliebantur, piē conditum est. Mirifici autem candoris lilyum statim super sepulchro natum est, cuius singula folia aureis litteris inscripta, aurea, & sacro sancta Angelicae salutationis uerba ita indicabat; ut facile ab omnib. legi, ac dignosci possent. Ea res incredibilem omnib. admirationē aduluit; illucq. accedens coenobij praefectus sanctis ceremonijs, sacrisq. ritib. , & solemnib. supplicatiōnib. prius institutis lilyum ibi diuinitus exortum, & editum collegit; quod in penitiorib. sacrarij locis sancte reconditum, & piē adseruatum est. Acquidem, compertum fuit; eius radices intus in sancti ui-ri ore defixas fuisse. Quae enim in ore semper uiuens continuerat, & mortuo reperta sunt. Quis igitur non uidet, quantam illam secum sanctitatem afferrant, quae uitae ad nos afferendae prima initia fuerint?

C 2 runt?

runt 2 quae primum nobis certissima laetitiae signa ostenderunt. Quarè piè, & praedclarè illi faciunt, qui saepius Virginis p[re]dib[us] p[ro]uoluti, suauissimis illis coelestis nuncij uerbis, ipsam salutant. Id ubi faciunt, altius animo p[er]pendere, ac contemplari deberent; illis uerbis hominum generi uitam nunciatam fuisse, ac salutem; & inde nobis omnia bona fuisse parta.

MIRAC. VIRG. XIIII.

Eques scelustissimus audios inhiantis satanae manus effugit; quia quotidie Virginem salutabat.

SCelestissimus, & facinorosus eques ed improbitatis peruererat; ut, cùm propè publicam viam arcem haberet, noctu interceptos viatores in eam intruderet, illos spolians, & quandoq[ue] etiam trucidans. Verùm in eo consuetudo Virginis quotidie salutanda inualuerat; neq[ue] ei tanti momenti occupatio accidere poterat, qua id intermitteretur, quod in more positum habebat. Quin immo illud semper intima pietate, ac mira obseruātia praestabat. Fortè illac transiens sanctus vir, qui peregrinè proficisebatur, statim ab impijs illis sicarijs, vinculis perstititus, in arce, ut spoliaretur, coniectus est. Obscurauit autem custodes, ut se ad equitem deducerent. Ea re impetrata, cū iam in equitis conspectum prodijisset, illum rogauit; ut familiam suam omnem arcesseret, & illic coram se paullum sistere iuberet. Se. n. de D[omi]no uerba facturum, salutaremq[ue] concionem habiturum pollicebatur. Iā igitur familia aduenerat; domesticiq[ue], audituri iussu equitis

equitis confederant; sed uehementer, & acriter con-
surgens concionator, iam unus, inquit, è familiarib.
deest. Ille ipsius heri nomine aceritus, adueniēs, os,
membra, totumq. caput distorquēs, neq. ad sanctum
uirum accedere, neq. eius uultum ferre poterat. Qua-
rē ipse per Dei maximi potestatem, & imperium sem-
piternum, eum adiurauit, ac dicere iusfit, quinā esset,
à quo missus, & quaenam tamdiu illuc cōmorandi fuīs-
set caussa. Vi ideo coactus, & impulsus, non honio sū,
ait, sed deformis cacodaemon, unā cum principe no-
stro perpetuis poenis, cruciatibusq. addicetus. Huc au-
tem ipse princeps erebri me misit, qui incolit sedes
inferas, humani generis hostis acerrimus; deditq. mi-
hi in mandatis, ut diligenter equitem obseruarē, an
ullo unquam tempore, aut die, à Virginis salutandae
longo usu discederet. Si nūel semel unus dies fuisset
intermissus, quin piè, ac sanctae illud praestitisset; ip-
se, in quo uno omnia erant scelera, à me statim lugula-
batur, & mecum distrahebatur in saeuissima tartara.
Sed perpetuum mihi bellum indictum fuit à Virgine,
cuius ipse salutationi quotidiè pure, & integrè operā
dabat. In eo ego obseruando diligens, ac sedulus fui;
qui ita assiduus fuit, ut nunquam ommiserit, ut nun-
quam potuerit falli. Ingenium ego acerrimè acuebā,
& intendebam, ut eum in fraudem inducerem, ut eū
irretirem; Sed mihi illa semper grauem pugnā dedit,
cuius purissimum lumen, splendidissimamq. oculorū
aciem, nos perdit, prostrati, & abiecti minimè ferre
possimus. Haec igitur eques audiens obstupuit, sen-
tiens, è quām uasto leti turbine elapsus fuisset. Quarē
coepit Deum opt. max. obtestari; ut sui miseresceret,

&

& quae grauissima piacula admiserat , clementia , & infinita pietate expiaret. Conuertens uero se sanctus uir ad cacodaemonem; tibi, inquit, nefaria bellua, edico,& impero Dei maximi nomine , ac uerbis ; ut hinc abeas , teq. in infimum barathrum retrudas ; ne unquam cuiquam obesse possis, qui nomen Virginis inuocet, uereatur, & colat. Ut puluis igitur, turbine collectus, scelestus, qui serui os , habitumq. tamdiu gesserat, ad tartara statim latus est . Quamobrem sanctus uir ab equite liberaliter , & honorifice tractatus est ; qui postea se coepitae peregrinationi commisit. eques uero ita animum suum parauit, & instituit , ut nihil unquam diceret, aut faceret , nisi id, quod summae sanctitatis, fidei, ac religionis uiro dignum esset .

MIRAC. VIRG. XV.

Matrona Christum, rem diuinam facientē uidet, auditq. ; cui cereum, quo purificationis die donamur, in illis sacrificijs, a ministro coelesti dono datum est.

Le^ttissima, ac pudicissima matrona intimo dolo re diuellabatur; q^{uod} festo purificationis Virginis die, sacris solēnib. manē interesse nō potuisset, ob quasdam occupationes. Cūm igitur anxiē, ac mēte propentissima Virginē, Deumq. uti consueuerat, pre caretur; cogitatione longius abijt , & mente uagata est, extasi perducta. Visa est autem augustissimū templum ingredi , in quo aderat ornatisimus pulcherri- marum uirginum chorus, quarum una, quae pulchritudine ceteras anteibat, sydereco diademate lucidum caput

caput ornatum gerebat. Considerant iam Virgines, cùm statim ibidem factus est formosissimorum iuuenum celeberrimus confessus. Aduenit postea quidam gestans cereorum funeralium fasciculum, quorum mirificus erat candor. Ac primùm praestantem illā Virginem cereo donauit; deinde singulas alias, ac singulos iuuenes, postremo etiam ipsam matronam. Ibidē autem in illius templi facello maiori diuinam rem faciebat Christus, seruator noster, ac liberator hominū generis, summus sacerdos, summus pontifex. illi inferiebant Vincentius, & Laurentius, ornatum, habitumq. Angelorum gerentes, & Diaconi, ac Subdiaconi munere fungentes. omnib. ritè, solemniterq. per actis, demissis animis, flexisq. genib. summo sacerdoti quisq. suum cereum offerebat. Iam omnes obtulerant, praeter ipsam matronam; quae, licet & à sacerdote, & à Virgine saepius fuisse rogata; tamē expresse negabat. Quin immò, cùm unus è ministris illud uehementer etiam, atq. etiam contendisset; nunquā tamē potuit impetrare. Quarè preces inaneis, & irritas esse, perspiciens, è matronae manib. ui cereum eripere conatur. At ipsa altercante, obnixe eq. tenete cereū, illud in duas parteis diuisum est; unam coelestis minister absulit, altera matronae relictā est. Soluta autem extasi, uerè dimidium cerei manib. continens, immortaleis Deo gratias egit; cuius clementia, ac pietate factum fuerat, ut illis sacrificijs interfuerit, quib. propter occupationes adesse nō potuerat; quibusq. caruerat non sine intimo animi dolore. Cereum uero coeleste, ac diuinum munus semper diligentissime custodiuit; cuius solo tactu è grauissimis morbis multi liberati

berati fuerunt; quippe qui spem firmam, ac fidem habebant, in re tantae religionis, ac sanctitatis, multis deinde exemplis spectata eius cerei uirtus patefacta est.

MIRAC. VIRG. XVII.

Vastissimae columnae Virginis auxilio eriguntur, quod aliter minime praestari poterat.

Constantinus Imp. summae magnitudinis, & mirificè ornatum templum extruendum curabat. cum eam ob rem vastissimae columnae adiectae fuissent, quarum admirabilis erat altitudo, latitudo autem xvij. pedū; frustra eas diu architectus omni machinarum genere erigere conatus est. Animi sese angebat operis redemptor, qui mentem nunc in hanc, nunc in illam cogitationem noctu, atq. interdiu diuidebat, semper meditans, quoniam pacto coeptū opus posset perficere. Vtus est igitur in circō Virginem intueri, quae illa sollicitudine animum levaret; sedulamq. in ea re perficienda operam pollice retur. Iusfit. n. Virgo machinas, & funes certo ordine disponi, ac parari. Deinde, ut è scholis templo proximis treis pueros peteret, imperat; illorū ope, non alia columnas erectū iri attestans. Vbi expperrectus est redemptor ea ratione machinas digerit, quam Dei parens praestituerat. Accersitis ergo illis puerulis, absq. ullo negotio, quod maxima robustissimorum operiorum copia non potuerat, efficit; immensaē magnitudinis columnis erectis. quis igitur erit tam stipes, aut

aut truncus, qui, ubi aliquod arduū opus aggreditur,
auspicem, ac ducē sibi ipsam nō proponat? Fallitur.n.
quisquis humanis tantum uirib. fidit. At profecto sa-
pere iij semper mihi uisi sunt, qui augustissimū, & san-
ctissimum eius nomen in omni egrēgio facinore per-
ficiendo inuocant. nunquā, ni mehercule eos spes ulla
frustrabitur, nec reprim entur unquam iusti eorum co-
natus.

MIRAC. VIRG. XVI. LII.

Templum, in quo Virginis uestium reliquiae adseruantur, noctu, cum omnia plena essent tenebrarum, clarissimo lumine lucere uisum est.

Scriptum reliquit Gregorius, beatus uir, & epi-
scopus Turonū, adseruari in Aruernorū ditio-
ne quasdam reliquias rerum, quae uirginis fue-
rant, easq. ibi summo in honore, & maximo in cultu
haberi; ut res tāta dignitate praestanteis habere pat,
& equum est. Cum aduenisset igitur festus assumptionis
dies, Gregorius in templum se contulit, in quo il-
iae reliquiae custodi ebat, quodq. assumptioni erat
dicatum. Statuerat.n. propter aduenientis diei exspe-
ctationem, & religionem de more ibi laudib., & hym-
nis celebrare excubias. Quarē atra in nocte, quo tem-
pore omnia obscura, & umbrarum plena erant, pro-
pīus illuc accedens, ē templi speculis uidit omnia in-
tus diei plena esse, ac lucis; omniaq. luminib. colluce-
re, quib. quilibet splendor exsuperabatur. existimās
illuc maximam facum, & funalium copiam fuisse alla-

D tam

MIRAC. VIRG.

26

ram à pijs aliquib., qui conuehissent ad excubias; & ipse, vt ingredetur, recta properabat ad ianuās quae clausa fuit reperta. Illam uero cùm pulsasset, statim patuit, nullo aperiente ianitore. Sed ubi templum ingressus est, alma illa lux effugit; quòd fortè mortales oculi coelestē, ac diuinum splendorem minimè ferre poterant. Neq. aliud se potuisse coniucere, dicit Gregorius; quām lucidum illud lumen è Virginis sacra luce prouenisse; cuius reliquiae ibi à pijs christianis, maxima pietate seruabantur.

MIRAC. VIRG. XVIII.

Hebraei filium, ab ipso impio parente, in ignis fornacem cōiectum, Virgo tuetur, & seruat.

Testamat reliquit idem episcopus rem, de qua conticescere nefas esset, & graue piaculum. Aderat n. in eois regionib. Hebraeus nomine Vitarius; huic erat filius, quem à liberalium artū magistro, unā cum plurimis Christianorum pueris erudiendum curabat. Cùm ludum puer frequentaret; templo Virginis sacratum unā cum Christianis commilitonib. adiit. Praeterea ibidem, postquam unā omnes interfuerant rei diuinae, & ipse mystici panis cibum in eadem mensa cum christianis cepit. Quare dominum rediens, ità incredibili laetitia exsultabat; ut parentē maxima admiratione afficeret; qui à filio pre cib. blandis laetitiae caussam expiscatus est, remq. omnem, uti se habuerat, intellexit. Impius autem, non minisq. nostri hostis acerrimus, en, inquit, 'O perfide nate,

nate, me ultiore dignas poenas dabitis, ob tam insignem
legib. Hebraeis, ritibusq. nostris injuriam illatam. Nihil
igitur moratus, in ardentissimam ignis fornacem, quae
forte domi parata erat, miserum, innocentemq. coni-
cit. Sed summa illa, & infinita pietas, quae apud Cal-
daeos trib. Hebraeis pueris in camino ignis praestò
fuit, minimè huic defuit. Nec n. fornax intus uora-
cib. flammis tota exarderet; & in illarum medio esset
pluia, ea è tamen ab ipso longè auertebantur. Cum ue-
rò ad crudele spectaculum mater concurrisset; quere-
lis misera domum, ac uiciniam omnem repleuit. Iccir-
co illuc properè maximus christianorum concursus
factus est; qui re à matre perspecta, flamas extinxer-
unt, intactumq. & illaefsum puerum non aliter inuenie-
re, ac si in molli, & uiridisimo prato, sub molli umbra
forte iacuisset. Ea res maximo gaudio, & admiratio-
ne christianos affecit; qui postea tanti malii nefarium
auctorem in ipsam fornacem intruserunt. Neq. uero
quae prius filium flammae conseruarunt, patri impu-
risimo parcere statuunt. illis. n. ipse absumptus, sta-
tim in cinerem uersus est. Quaerebant deniq. chri-
stiani diligentissimè de puerò; qua pietate in tanto
periculo uita, & salus fuisset parta; & quinam sui con-
seruandi fuisset auctòt. Ipse rem omnem, uti se habue-
rat, narrauit. me, inquit, mulier illa, cuius in gremio
est infans, & quae in medio illo templo considerat, in
quo ego hodie mysticum panem in sacrata mensa co-
medi, suo amictu uelauit, ac texit; ne flammis exure-
rer. Pro certo igitur habitum est, à Virgine ex illo in-
cendio puerum suisse ereptum, qui postea in purae
fidei nostrae uerba iurauit; & cum matre in sacrosan-

D 2 cto

cto baptismatis fonte iusurandum dedit, se sub christiana religionis signis militaturum. Hoc praeterea miraculo percussi multi, ac multi eius ciuitatis, & regionis Hebrei, ad Christum descierunt, à Iudeis ritib deficientes, ac discedentes.

MIRACI VIRG. XIX.

Hierosolymam non parua coenobitarum multitudo incolebat, ut idem Gregorius episcopus ait. Illis non solum populi religio, quibus erat deditissimus, sed et regis liberalitas multa profusa, regioque splendore digna largiebatur. Forte ob incredibilem annonae inopiam, nec illis rex, uti consueuerat, donare, nec populus potuerat. In circo in eas angustias eorum res familiaris erat collecta; ut iam rebus uictui maxime necessariis ualde egere coepissent. Quare cum eos nullo cibo pastos biduum alimenta defecissent; conquerebantur, & certiorem praefectum faciebant; ni uel uictum suppeditasset, uel eius aliunde quaerendi potestate dedisset; è coenobio esse erupuros. Quamuis non fortunam prius malebant experiiri; quam fame, miserrima omnium morte confecti, aut consumpti essent. At praefectus eos confirmauit, forteque, ac bono animo esse iussit. Quid non nobis est desperandum, inquit, quis nos unquam esurituros dicet,

qui

D 2 60

qui sub eius reginae nomine, ac turela sumus, è cuius
Virginea, & castissima alio uitae fructus hominū ge-
neri prodijt? quo mortalib. immortalibusq. omnib.
copiosissimus cibus, & qui nunquam deficit, affertur?
tota nocte igitur pijs precationib. consumpta; manè
ita frumento hostea plena cōperta sunt; ut uix ingre-
diendi locus relictus esset. Quas immortali, & libera
lissimo coelitum regi, eiusq. sanctissimae parenti gra-
tias egerint; nō dici, aut excogitari potest. Ijsdem eue-
nit, ut etiam reb. quibuscunq. immundissimis cōsum
ptis, iterum eos grauiissima fames opprimeret. Iccir-
co cùm maximo moerore, atq. animi perturbatio-
ne afficerentur; tandem ipsius praefecti iussu, & hor-
tatu prostrati, ac submissi totam noctem Deum piè
comprecati sunt. At pius, clemensq. rerum omnium
dator, nolens suis in tanto tempore deesce, Angelo iuf-
fit, ut maximum auri pondus in eorū templum infer-
ret, & in facello reponeret. Illud mane repertū incre-
dibili spe, priùs prostratos eorum animos erexit; qui
accito aedituo de eo quaesuerunt, quinam princeps,
aut heros tam liberale munus misisset. Sed aedituus
ualde miratus est; neq. conijcere poterat, à quo aurū
illatum fuisset, cùm penes se fuissent semper ianuarū
claves, nec quisquam templum interim ingressus
fuisset. Praeclarè igitur intelligentes, id à benignitate,
ac liberalitate eius regis prouenisse, qui reges om-
neis largitionib., ac splendore uincit, & apud quem
sunt omnium rerum, & omnium regū copiae, immor-
tale beneficium, sanctis sermonib. exornabant. Qua-
rè desinant qui ad Deum, Virginemq. cōfugiunt, du-
bitare de re ulla. Amplissima. n. eorū est liberalitas,

&

MIRAC. VIRG. I

& amplissimè patet; & omnes, qui eos piè inuocant,
re ipsa eorum benignitatem experiūtur, ac sentiunt;
nec unquam falluntur.

MIRAC. VIRG. XX.

*Quibusdam Virginis reliquias maximum incendium fuit
extinctum.*

CArissima pignora quarundā Virginis reliquia
Apostolorumq., & D. Martini ipse Gre-
gorius aureae cruci inclusa semper gesta-
bat. Forte pauperis rustici tuguriolum aridis frōdib.
consitum, uehementi igne accensum conflagrabat. In
felix pauperrimarum aedium dominus unā cum uxo-
re, & filiolis maximam aquarum copiam afferebāt, ut
flamas extinguerent. Sed tam acriter ignis oppres-
serat, ut omnia absunda essent, ni opem beatus uir
ad tulisset. Contra flamas reliquiarum crucem ipso
conijciente; non aliter eae fuerunt extinctae, ac si illis
imperandi sancto uiro ius, ac potestas fuisset. cur autē
Virginis nomen leuissimas, & caducas flamas non
tollat; cū illum pepererit, qui aeternarum flamma-
rum, & priūs omnia uorantium, impetum repressit?



MI-

mirabilis visus et omniu[m] mirabilis orationis
mirabilis MIRAC. VIRG. XXI.

z Virginis reliquiae, ut flamma torrerentur, à latronib. in
ignem coniectae, intermissa flamma, sanctae, & tectae repe-
riuntur.

Gallus uir spectatae uitae, & singularis probi-
tatis, ut ab eodem episcopo scribitur, è Hie-
rosolymitana regione, quam inuiserat, quas
dam Virginis reliquias admirabili studio, ac diligētia
secum afferebat. Is statuerat etiam, pietate, & religio-
ne permotus, antequām in Galliam proficeretur,
Romam inuisere. Confecta autem maxima itineris
parte, in latiorib. Italiae solitudinib. fortè in latrones
incidit. illum impij non modō ui reb. omnib. spolia-
runt; sed etiam arculam illam in qua inclusae erāt san-
ctissimae reliquiae, eripuerunt; pecunias inesse existi-
mantes; & illam statim praedae cupiditate aestuentes
effregerunt. Vbi se deceptos uident, nullo auro, aut
argento reperto; cùm tamen multò preciosiora ines-
sent; sanctissimas res in ignem intrudunt, deinde infe-
licem uiatorem acerbissimis uulnerib. sauciant. uere-
batur autem ipse, ne carissima pignora consumpta es-
sent flammis, grauēq. dolorem ferebat. Post impiorū
itaq. discessum, cruentis uulnerib. ferè exsanguis paulo
latim se, & difficillimè illuc contulit; ubi dubitabat,
ne reliquiae incendio conflagrassent; ut saltē cineres
colligeret. Verū illas super ardenteis carbones sar-
ctas, puras, tectas, & integras inuenit non aliter, ac si
admirabili diligētia in bene munita, ac tutissima arca
adser-

adseruatae fuissent. Iccirco immortaleis laudes in Christum seruatorem, & in eius parentem, Virginem purissimam conferens, incredibili laetitia perfundebatur. Deinde uero collectis dulcisimis, & optatis pietatis suae monumētis, ea in patriam, uisa prius sanctissima urbe, orbis terrarum regina, maximo triumpho tulit. Caeant autem ij, à quib. haec perlegentur, ne aliquo errore abducti, beatorum reliquias solummodo esse existiment eorum cineres, ossaue, aut membra. Nam reliquiae etiam illae dicuntur, quae ipsorum quoquomodo fuerint, quaeque ipsi attigerint: ut uestes, ut aliquae eorum locorum particulae, in quibus sedere, morari, aut quiescere consueuerant. Ab hac sententia hic praecepū non est recedendum. Nam ubi de Virginis reliquijs loquimur, uel de eius uestib., uel de reb. aliquib., quas ipsa attigerit, uel de locis, qui à sanctissimis eius pedib. pressi fuerint, intel ligere oportet. Nefas quidē, & impium esset, credere, hic in terris ullam sanctissimi eius corporis partem reperiri. Nam una cum cädida illa, & purissima anima, integerrimum illud corpus, quod semper omnis concretionis, & contagionis humanae fuit expers, quodque nulla unquam labe potuit inspergi, nunc coelū exornat; suoq. aspectu iucundissimo coelestes omnes exilarat. Fatis sit, hic in terris nobis esse sacratā illam aedem, ubi ipsa diuini spiritus suauissimo uulnere saucia Deum in Virginea alio recepit. Haec in Laurentanum collum ab Angelis relata, eorum, qui illuc peregrinè, proficiscuntur, mira pietate pectora imbuens, omnes in uerum Dei cultum conuertit. Illuc cū mortales omnes ab orientis, & obeuntis solis, ab Austris,

&

LIBER PRIMVS.

33

& Aquilonis regionib. confluant; turpe est nobis sae-
pius non uisere tam sanctas reliquias, quae in Italiae
luce, & conspectu uersantur.

MXXX. DRYN. ORATIONES

MIRAC. VIRG. XXII.

Peieraturus in aede Virgini sacrata resupinus grauiſſimo
casu concidit. Quare postea quod mentiri conabatur, palam
aperuit.

A pud Turones in aede Virgini, Diuoq. Ioan-
ni Baptista dicata, diuino iudicio, male
cum ibi peieraturo homine actum est. tem-
plum. n. adiuerat, foedissimi, ac taeterrimi mendacij
testem Deum adducturus. Sed uix manum extulerat,
ut nefarij periurij uerba proferret, cum super templi
folio tanta ui resupinus caput concussit; ut uix postea
potuerit surgere. Vbi ad se rediit, rem patefecit om-
nib., & qd^r prius dolo, fraudeq. peieras celare, & clā-
culum habere conabatur, ut in excels^o, & illustri loco
apertē constaret, effecit; rebusq. alijs omnib. praetu-
lit diuam, ac nudam ueritatem. Id nos docet B. Grego-
rius episcopus Turonum; qui etiam addit, quod ma-
ius est, multos Turones, qui ibidem peierare ausi fue-
rant, repentinae mortis suppicio fuisse multatos; ac
se suis oculis etiam uidisse testatur. Quid. n. impiū ma-
gis dici potest? Quod nam scelus ab eo scelere abest,
cum Deum opt. max. falsi testem obtestamur? atq. in-
uocamus? Qui id audent perpetrare, uel Deum non
esse existimant; uel ita impuri sunt, ut illum mendacij,

E ut

ut ueritatem ipsam falsitatis testem appellare non ue
reantur, non erubescant.

MIRAC. VIRG. XXIII.

*Virginis uestium reliquiae ab obsidione ciuitatem libe
rant; deinde ad coelum efferuntur.*

Compertae fuerunt quaedam Virginis uestium reliquiae in eius sepulchro, cum tertio post obitum die fuissest in coelum assumpta. Illae maxima religione in quadam ciuitate custodiebatur. Forte à Normanorum principe ea ciuitas numeroſo exercitu obsidebatur. Quarè diuturna obsidione fatigati omnes de ditione cogitabant. Sed sacer ipsius ciuitatis Antistites super hasta reliquias iussit efferri, pro militari signo, quam ipſe suis manib. gestabat. Signiferū igitur praefulē omnes ciues sequentes, ex urbe magna ui erumpunt; hostemq. aggredientes, manus fortiter incipiunt conserere. Ea restantum terrem hostib. incusſit; ut statim eorū animi conciderint, qui prius elati erant; & ijs qui coelum minis uidebantur territare, timor sit iniectus. Quare omnes caeci, abiecti, & semianimes facti fuerunt. Id, cū uiderent obſessi, in eos crudelissimē saeuire caeperunt. ex illis iam multi ceciderant, iamq. innumerabiles fauici facti fuerant; cum repente reliquiae Virginis, cui tanta clades displicebat, quaeq. crudelium rerum spectacu lis non potest interesse, euolarunt. Illorum deinde ex oculis, quorum lux, atq. acies diuinæ uestis splendore fuerat perstricta, atra caligo, & coeca nubes fuit expulsa.

LIBER PRIMVS.

35

pulsa. Interim autem ipsi sese receperunt, atq. in fuga praesidium posuerunt; ciuitas uero fuit obsidione liberata.

MIRAC. VIRG. XXIIII.

Elisabet mulieri beatae, Dei mente illustratae, in abdito loco, nera Virginis corporis in coelum assumptio fuit nunciata.

Elisabet beatissima, ac sanctissima mulier, ob sanctitatem digna fuit, quae e, educta quasi de corpore mente, altius raperetur ad ea arcana intelligenda, quae illis, qui in corporib. degunt, minimè possunt enunciari. Inter cetera uero, quae illi à Deo, diuino afflatu impertita, ac uulgata fuerūt, illud memoratu dignum, & minimè prætereundū episcopus Turonum in mediū afferit. Viderat. n. ipsa mulier in remotissimo secessu sepulcrum mirabili splendore effulgens: in quo diuinae mulieris simulacrum erat, quod innumerabilib. Angelorum simulacris, atq. imaginib. erat circumdata. Deinde uero paullò post, maximo plausu, & triumpho erectam è tumulo coelestem illam mulierem ab Angelis ad coelum uidit efferi; cui è cœlo descendens, obuiam procedebat uir, cuius alma lux, quo quis præclarissimo lumine erat lucidior, & clarior, quiq. præstanti, ac uictrice dextra triumphalis crucis insigne gestabat. Ille laetissimè mulierem exceptit, & in coelum statim comitatus est. Quaerente autem Elisabet, de Angelo, quo cum sanè longos sermones saepè consumere consueuerat, quidnam ea, quae uiderat, portenderent; ipse eius rei caus

E 2 fam

SIBUS

sam benignissimè exposuit. Hunc.n.sermonem coele
stis nuncius habuit, o elisabet, Eximia benignitate
sua immortalis Deus puritatis tuae studiosus, & amā
tissimus, ob quam tibi saepè coelestia arcana, & recon
ditissima aperuit, nunc, tibi maximam rem declarat,
quam diuina ope instincta modò uidisti. ità.n.corpo
re, ut spiritu Christi parentem, in aeterni patris regiā
elatam fuisse, ea, quae uidisti, indicant. Quis.n.locus
in terris, diuini spiritus sedem, & domicilium? quae re
gio immaculatissimum Dei parentis corpus, licet can
dida iam anima euolasset, dignè capere, aut contine
re potuisset? Cur non etiam illo corpore coelum exor
natum oportuit ad beatos omnes cumulatè exhil
arandos; à quo nouem mēseis coeli rex gestatus est, ex
quò prodijt, atq. editus fuit coelestis uiae muniendae
dux, & auctor?

MIRAC. VIRG. XXV.

*Virgo præfō est iuueni, à quo insigniter diligebat; qui, dū
animam efflatus eſſet, desparatione abducebat; & illum in
coeli uiam reducens, beatorum uitæ compotem facit.*

CLericus ea mētis puritate excellebat; ut ultrò
ad Virgini comiserendum ferretur, cùm me
moria repetebat, quām olim acerbis vulne
rib. castum eius pectus transfixum, & fauciatum fuif
set. Deplorabat.n.moestissima illa, & lugubria tem
pora; quib. ipsa sanguine filium imbutum, cruen
tatum, ac aspersum; & in asperrimā cruce praecordijs
mortem continentem, & mortuum deniq. viderat.

Quarè

Quare eam appositis argumentis saepius consolabatur, tantam doloris acerbitatem mollire, ac lenire contendens. Ea ictus gaudia in memoriam redigebat, quae eadem cumulatissime, & solidè gauisa fuerat, tandem post intolerabileis illas aënuminas, dignos, & aeternos nati triumphos animo intuens. Nati. n. ad olympum ascēsu; uictoria de inferis relata; liberatus ab obsidione terrarū orbis; coeloq. tributariae omnes nationes redditae, & impia Babel deleta, ac solo aequata prioris moeroris omnem acerbitatem auferrunt. Commemoratione igitur eorum bonorū, quae à Deo uigo acceperat, quaeque ipsa adulterat hominum generi, grauissimas sollicitudines, in quib. ea uer sata fuerat, iuuensis pius extinguere conabatur, & prioris doloris omnem recordationem ex animo eripere. Is in morbum fortè inciderat; cuius grauitate, & longinquitate uitam longius producere non poterat. Itaq. morbi impetu ferè desperans eò uenerat; ut animae etiam periculum esset. teterimus. n. hostis noster doli, & fraudis struenda fine nullum, aut modum faciebat; ut infelix animam perditū iret. Imprudēs igitur dum minimè cauet ab insidioso, fallaciq. eius ingenio, plenus terroris, ac metus, qui ab impiō incutiebatur, in desperatione pergebat; cum tamē debuisset ad Christum confugere. Ille. n. clemens, ac misericors semper supplices amantissimè conseruat, & in illos misericordia utitur. Interim nefarij cacodaemonis impetum Virgo retardans eiusq. uireis infligēs, miserum male affectum ad pristinam constantiam, & uirtutem reuocauit. Planè. n. ille confirmatus est, suauissimo mansuetae reginae uocis sono audito. Ipsa uero

uerò amanter, ac benignè languentem, & quasi morbo confectum, ita coepit alloqui. Ne timeas iuuenis, de qua enim re tibi dubitandum est? Cur te moeror perimit; et quid in squalore, siti, aut lacrymis uersaris? qui me toties a luctu, ab aegritudine se uocare conatus es? Tu eas sollicitudines, quae me in terris tam crudeliter torserant, & afflixerant, lenib[us] immortale illam laetitiam memorans, ad quam me summi regis mansuetudo extulerat. Cur ego tibi nunc desim, cur ego te derelinquam, qui tam saepè mei commiseratione adducil consueueras; ob saeuissimos dolores, quibus toties diuisa fueram; dum captus, dum loris caesus, dum in cruce natus meus fixus fuit? Mecum sis; mecum hinc discedas, ut aeterna tranquillitate, quā emeristi, mecum apud filium meum perfruaris. È uastissimo ille procellarum Oceano in tutum uitae portum configiens, recta aeterni regis sponsam secutus est. Iuuenis uero hymni, ac laudes nunquam satis possent laudari. Illis n. canticis Virginem compellabat, quae ab ecclesia laetiorib[us], & magis iucundis anni temporib[us] cani solent; REGINA coeli laetare. Existimandum est autem, suauium illorum uerborum cōcentu uirginea aureis ualde oblectari.

MIRAC. VIRG. XXVI.

Virgo sibi deditae mulieris ornata, & habitu indutazet pro ea quam maritus ad satanam perducebat, se facile probans, dat operam, ut scelestus optatissima præda excidat.

Eques immoderatissimis sumptib[us] totū patrimonium profuderat, & peruenerat eō mendicantis;

ti; ut etiam neb. nūcū necessarijs valde indigeret. b
Verū pauperies, fortunaeq; mutatio ab ejus uxore
le&tissima & feminis, & Virginis maxime studiofa, aequo
animo ferebatur, adueniente festo quodam die, quo
ille lautissimas coenas, ac sumptuosissima prandia pa-
rare consueverat, ad quae amici omnes, & cognati uo-
cabantur, pudore permotus in amici subuibarium se-
cessit. Ibi se dolore oppressus, & macerans, in moero-
te, ac luctu iacebat, nimis aegrè ferens, quod prisca iu-
cunditas, & rerum copia in tam atrox infortuniū, tan-
tamq; inopiam fuisset mutata. Statim autem horribi-
lis, ac tremendi aspectus hominem feroci equo insi-
dentem uidit, qui rogitauit, quaenā esset tātae mae-
stitiae caussa, & cur tantopere discruciatur. Prodi-
gus libenter caussam exposuit; cui respōsum est à pro-
cerō illo equite, futurum, ut illi maiores rerū copias,
& maiorem fortunarum accessionem adderet, modò
in re leuisima, factuq; facillima imperata sua facere
paratus esset. Erat ille tenebrarum incola, cacodae-
monum dux, cui prodigus iuriandum dedit, promis-
tens se illi obtēperaturum, & quacunq; iussisset, li-
bentissime facturum. Redi igitur domum, inquit fa-
tan, quam auro, argento, preciosisq; lapillis plenā re-
peries; eaq; omnia tibi ea lege à me dono dantur, ut &
tu ad me uxorem tuam deducas; eamq; iuri meo des,
dices, & penitus addicas. Id cum utriq; ex sententia
probatum fuisset, alter domum rediens, immoderata
diuitiarum cupiditatem expleuit; alter uero honestae
mulieris perdendae, ac rapienda nefaria libidine
aestuabat. Praestituta dies iam aduenerat, qua pro-
missa erant praestanda; atq; illud à prodigo dependen-
dum

201169

dum erat, quod sponderat. Ideò uxorem monuit, ut se comeret, & compararet, quia illam secum ductum dicebat. Nescia ipsa, quoniam viritus esset, nul de pavitate coepit ignorans, curnam illud repentinum domo abeundi desiderium maritum inuasisset. Quare, ante quam se itineri committeret, Virginem ducē, & auspicem sibi precata est. Maximam uero itineris partem confecerant; cū mulier pietatis caussa ex equo ad pedes desiliens, templum in via extrectum, quod Virgini dicatum erat, ingreditur, uiro ante fores interim exspectante. Sanè uocata coelitum regina mulieri adfuit; quam ipsa assuetis preceptionib. implorauerat, clementissima ergo Dei parens, somno oppresa in templo muliere, notam eius imaginē, ac uultus formam cepit, & se se equiti comitem addit, in equū insiliens, eam semper ille uxorem credidit. Vbi tandem ad statutum locū deuenere, scelestus hostis prae dae immoderata cupidine exardens, & flagrans, maxima ui, & impetu suis latebris erumpit. Verū, ubi se deceptum uidet, atq. illam adesse intelligit, cuius nomen inferis omnib. formidolosum est, se recepit, ad eam non ausus accedere, & ita equitem conuicijs urgebat. Siccine me perfide ludis? siccine in fraudem inducis? haec sunt tot beneficiorum, quae in te contuli, praemia? haec est tot fortunarū, quib. te beauī, merces? auidissimē ego uxori tuae inhiabam, ut de illa dignum supplicium sumerem, ob graueis mihi tam saepē ab ea iniurias illatas; quae se mihi semper grauisimam aduersariam constituerat. At tu illam adduxisti, quae me in infimum barathrum detrudat. His auditis eques obstupuit, obmutuitq. cuius partis

LIBER PRIMVS.

41

parteis Virgo peragens, sese pro eo aduersario oppo-
suit. Illū igitur grauiter accusans, quod sibi addictae
mulieri insidias parare, & dolos struere auderet, iussit
ut in inferorum tenebriosiora loca secederet; qui, ut
folis aduētu nebula, reginae lucis conspectu euanuit.
Virgo autem equiti suppliciter secum agenti, miseri-
cordiamq. imploranti, praec ep̄it ut è tēplo dormien-
tem uxorem repeteret; & turpe aurū, nefanda sq. diui-
tias abijciēs, illas nefario donatori restitueret. Haec
ubi dixit, sydereū uultū auertens, quauis luce, & quo
uis claro lumine lucidior effulsa. At eques, soluta
sōno uxore cū ea domū reuersus est; opesq. illas arte
Satanae cōgestas abiecit. quandiu uero probi, & casti
cōiuges postea uixere, optimū uitiae genus secuti sūt,
nunquam deficiente moderata rerum copia, temp e-
ratoq. necessiarum rerum usu, quae optima & mu-
nificētissima donatrix tribuebat, & largiebatur. Ac q-
dam uerè ij mihi desipere uidentur, qui fragilib. hi-
isce fortunis omnib. dilapsis, & cōsumptis, desperātes,
a pura, sancta, augustaq. lege recedere audent. sese
enim miseri turpissimi hostis nostri illecebris in frau-
dem induci patiūtur, qui nec quicquam nobis rerum
omnium egenus dare, nec inuitis adimere potest.
Haec nos pro sanguine à Christo fuso praemia repen-
dimus? id ne exposcunt grauissima ab eo uulnera ac-
cepta; dum saeuissimum bellum à nefarijs hostib., &
acerbisimis nobis indictum, uictor confecit? en re-
dempti, en seruati ultrò captiuitatem, seruitutis iugū,
& perniciem querimus? en fusis, profligatis, disiectisq.
hostib. eorum uireis conamur reficere, amētes, coeci,
opis, & consilij penitus inopes mortales? A Christo
zogib

F defi-

deficere possumus, facta turpissimo monstro turpi, & indecora deditio[n]e, auri, aut argenti inani spe, & falaci? cum tamē res ita partae statim effluant, ac rapidē dilabātur? An ita obtusi, & fatui estis, qui dona hostiū, à quib[us] quotidie ad internacionem uastamini, dolis ca[r]ere credatis? Quis autē ita perculso, postratoue, animo inueniri potest, qui, si Virginis, aut eius filij nomē inuocet; statim sibi de rcb. omnib. liberalissimē consultum esse non sentiat? Nemo enim copiosius largiri potest, cum penes ipsos sit rerū omniū summa, atq[ue] imperium; nemo libentius aut liberalius, cum non solum uniuersa nobis Christus dederit, sed etiam prouta nostra seipsum obtulerit, & sanguinem innocentissimum profuderit.

MIRAC. VIRG. XXVII.

Nines, quae è coelo sextili mense deciderunt, templi Mariae maioris Romae construendi, auspiciū fuisse.

Non praetereundum est miraculum, quod ab ecclesia Romana quotannis maximo triumpho illustratur; quodq[ue] Liberij summi Pontificis temporib[us]. Romae coelestum clementia patefactum, & apertum est. Ioannes patricius Romanus, urbisq[ue] ipsius praefectus, incredibili prolis desiderio exardebat. Huic erat uxor pudicissima; sed nunquā casti coniuges liberos dare potuerant. Eius rei causa immortalia uota suscipiunt; atq[ue] sibi apud Deum eius sponsam aduocatam implorant. Ipsa uero, quae semper miseris mortalib[us] rę ipsa opem affert, minimē deditos

deditos sibi deseruit. opere pretium est , rem breui-
ter exponere. Nam ea nocte, quae diem v. Non. sex-
til. praecedit; quo tempore homines, animantiaq. gra-
uis a estas exurit; & quo omnia saeuiente aestu abfu-
muntur; e coelo candidissimae niues decideunt, quib.
tanta soli pars fuit occupata, quanta ad extruendum
templum fatis erat . Eadem etiam nocte Virgo Libe-
rio in somnis apparuit, cui edixit, ut sibi templum in-
tra moenia statueret, ubi niueis mane cōperisset. Mo-
nuit praeterea eundem , ne ab eo, quod suadebatur,
desisteret; promittens rem factu facillimam futuram.
mane enim, inquit, Ioānes unus ex principib. Romae
ciuib. te conueniet; cuius ope , ac sedula opera uti in
hac re poteris. Quare me postea in uibe summae am-
plitudinis templum accipiet. Vix haec locuta fuerat;
cum discedens uera coeli regina patuit. Ac se ad Ioan-
nem, & uxorem, qui uix sobolis desiderium ferre po-
terant; quiq. eius rei causa Deo sua omnia obtulerāt
contulit . Illos primum cū saluere iussisset, ita mitib.
uerbis compellauit. Ibi ego uobis aeternam domum
comparabo, quam sine fine incolatis, ubi beati degūt
aeuum immortale; si mihi hic in terris aedem erigere
statuetis. Casti coniuges illis uerbis annuentes, & ad
omnia se paratos esse, attestantes , sua omnia Virgi-
ni patere aperte dixerunt ; quae ipsos, ut Pontificem
adirent, hortata est. Pontificis enim dicto ipsis audiē-
tibus; ibi templum statutum iri dicebat; ubi tam gra-
ui aestatis tempore niues fuissent inuentae. Quamo-
brem, dum recto curru ad Liberium contendunt, ni-
uum maximam quantitatem uident; & cum Ponti-
fice consilij ratione communicata; ad eam rem eorum

solid

F 2 animi

MIRAC. VIRG.

44 animi magis, magisq. accense fuere. Procedens autem summus antistes maximo sacerdotum numero, institutisq. solemnib. supplicationib., in collem niuib. mirum in modum albicantem perrexit; templiq. extrudi optimis coniugib. fuit optimus auspex. Hoc hodie Romae inuisit, amplissimum, Virginisq. maiestate dignum, D. Mariae maioris nomine in scriptum. scriptum est in D. Magni uita, huiusmodi etiam miraculo, Venetijs fuisse duodecim tempula extracta.

MIRAC. VIRG. XXVIII.

Honestissima puella Virginis inuitatu, coelestium, & immortalium Virginum choro inseritur.

Puellae quae Musa dicebatur, & quae soror erat probi, uiri sanctissimi, ut ipse multis narrare solebat, in somnis Virgo se noctu obtulit innumeris Virginib. comitata, quarum uestes niue candidiores erant. illis cum se inserere ualde puella aueret, Dei mater fulgētissima, ac coelesti ore, inquit, te quoq. earum in numero, si uis reponam. Quarē id ardenter cupienti, apud Virginem impetratu facillimū fuit. Praecepit ergo munificentissima parens, ut ab omni puerili leuitate, risuq., & ludicris reb. se se cōtineret; id si fecisset, inter coelesteis illas, & immortaleis adolescentulas, ipsam quoq. conumeratum iridicebat. Iccirco se adolescentula plane ab omni flexibili, & inconstanti consuetudine abduxit, ac removit; & alia omnino facta est. Demirati deinde fuerūt parentes de tam repentina mutatione; qui incredibilem

bilem in filia morum grauitatem intuētes, quid illud esset, cupidissimè rogabant ipsa uero rem exposuit; assēsēs se ad dictam diem discessuram ad coeli reginam. Quare uigesimo quinto die, postquam ea à Virgine promissa fuerant, in febriculam incidit; cumq. trigesimi diei tempus appropinquaret, quo è uinculis corporis ad coelestem illum chorū euolare illam oportebat sibi Virginem ipsam cum pueris illis obuiam procedentem uidit. altius igitur clamans, en, inquit, o regina, non moror in tuum sinum recurrens propero, siveq. modestè oculis deiectis diuinus spiritus uirginico corpore solutus ad coelum euolauit.

MIRAC. VIRG. XXXIX.

Pios coenobitas operi rustico valde insudanteis, in agro à Virgine salutatos fuisse, & ysdem, coelestib. sudariolis sudorem abstersum fuisse.

IN Illustrum Cisterciensium uitis res legitur quae superiorib. miraculis est inserenda. Renaldus .n. Cisterciensis, licet, iam trigesimum annum ageret, ante quam ullius ordinis coenobio se addiceret; totū tamen illud anteactae uitae tēpus sanctitate, probita teq. singulari degerat; ac praeter cetera in eo laudandum erat singulare continentiae, & castitatis studiū, quam usq. à teneris Deo uouerat. Viginti annos in D. Amandi coenobio moratus sanctitatis eximia documenta dedit, se totum Deo tradens, atq. illi piè, & ex animo inseruiens. Ardentior autem diuini amoris flamma accēsus, in Claraulli ordinem cooptatus est

est. ibi se nouae militiae dedit, & è ueterano iterum tyro factus est. Quarè sua omnia consilia tanquam ad scopum, ad solum Deum dirigens, se se quotidie debilitabat, paenuriaq. edendi, & longis excubijis attenuabat, ac perdomebat. Fortè in agro, in laborib. messium occupatus erat, una cū pijs collegis, & opera rijs; & admirās ita loqui coepit. Hē tot praestātes, insig nesq. uiri, qui prius in maximis delitijs, ac lauitia uiuere poterant; nunc Christi desiderio, & amore, in rultico opere exurente iam omnia aestu, sine modo, ac fine, labrant. ò admirabilis eorum sanctitas, quos uirum imminuehdarum, & debilitandarum tā ardens cupido incessit, ut uix labori possint sufficere. Ad coelum igitur Inanū extollens, Deo gratias immortaleis agebat; cuius bonitate factum fuerat ut & ipse illorum coetui adscriptus esset. Haec autem ita laeto animo secum deputabat, cùm statim uidit treis matronas, ore coelesti, roseisq. genis, & sydereis oculis effulgenteis; quae candidissimis uestib. augustoq. habitu erant exornatae. earum pulcherrima, in qua admirabilis maiestas spectabatur, ceteras ueluti regina incedens praecedebat. Una uero omnes ad agri colas monacos accesserunt: & maximam laboris partem sustinentes, grauissimo fessorum oneri succedebant. obstupe sciebat Renaldus, cuius in conspectu, cuius ante oculos illae uersabantur; cum interim aduenit uir aspectu, & canitie uenerabilis, stola candida ornatus. Ille coelestium mulierum nomen patefecit. illā enim, quae splendore, & pulchritudine alias anteibat, dicebat esse coeli reginam, Dei parentem; aliam uero D. Magdalenam, aliā D. Elisabet. Quarè ubi

ubi è sancto uiro intellexit, illic Virginem adesse, quā tantopere colebat, totus exultas, & gaudio perfulus, ab eodem non sine maximo desiderio perquisiebat, qua causa illuc ea tam benigne aduenisset. Respondit, sanctus uir, ut salutaret carissimos operarios, virginē se illuc cōtulisse; deinde his dictis statim abiit. Renaldus uero diligenter obseruabat quaecūq. à Virgine fiebant, quae una cum alijs duab. in rustico opere defessos amanter compellabat, nunc ad hunc, nunc ad illum propius accedens, salutatis omnibus in coelum illae ascenderunt. uir integer, qui haec uiderat, vehementiori erga Deifiliam cultu inflammatus est. Sunt qui dicant, Renaldum prius militaria stipendia in castris sub Imperatore gesisse, deinde, cū penitus secessisset, se abdidisse in coenobium. Quare cum in agro nimis insudaret, & nimis immoderatè in rustico labore se exerceret; ferunt, illi iussum fuisse, ut laborem terminaret, a quo nimis, ob aetatem, corporisq. mollitiem, ipse infirmabatur. Iccircō uidens alios quorum uita pura, ac sine labore fuerat, laboris ac solis ualde patienteis, se miris modis afflictabat. Praeterea ita secum tacite locutum dicebant; hem integri uiri, omniq. culpa, & peccato uacui tam laboriosè res rusticæ tractant; ego uero, qui tam multa in Christum admisi, otiosus sum, & quietime dedo, non potis, ab uirium imbecillitatem ingrauescensem aestum preferre? fama est, cum uix haec dixisset, ex ibi proximo colle descendenteis mulieres ab ipso uisas fuisse, quarum niueus erat color. illarum uero candidissima, et praecebat; sequebantur aliae tanquam ministrae, & pedissequac. Ipsa igitur formosissima ministris mollia

mollia sudariola, quae gestabat porrigenſ, sudorem,
ac puluerē ex operariorum fessis corporibus abſter-
gi iubebat; eam rem ipsae ſtudiosē, & accuratē prie-
tabant. Quis profecto non uidet, eos, quorum ani-
mus ad Deum propensus est, & qui ab eo pendere
ſtatuum, nūquam deferi, nunquam derelinqui? Quis
non intelligit, ſemper cum illis eſſe diuini ſpiritus ui-
reis maxime potentis, quae ipſos foueant, ac com-
pleteantur? Demum uero ij in coelestem patriam cum
Deo ad meritum triumphum deducuntur.

MIRAC. VIRG. XXX.

*Coenobita n alde pius, qui cū ſaepe aegrotaret, nimis ac-
curatē ualetudinem uarijs medicinis, ac medicis curabat, Vir-
gine adiuuante, rectam ſe in uiam dedit.*

TAmetsi quidam Cisterciensis eximia animi pu-
ritate excellebat, tamē quia ſaepē aduersa ua-
letudine utebatur, propēſiori desiderio, quam
par erat, & pharmacorum noua genera, & diligenteis
medicorū curationes perquirebat. Id huiusmodi uirū
facere non deccebat; quippē qui non in medicis, ſed in
Deo optimo maximo bonae, ac ſolidae ualetudinis
ſpem collocare debebat. Immortalis enim atq. omni-
potens reb. omnib. praeceſt; & ab eius imperio omnia
pendent. Tandem, Virgine adprobante, factum eſt,
ut monacus ſeſe collegerit, ſpreta illa nimis acri fo-
licitudine; atq. ad Deum ſolum, ſicuti cetera ualetu-
dinis ſtudium contulerit. Noctu uidere uifus eſt in
ſomnis omneis monacos in templum properanteis,

ad hom

ut

ut diuinis pre cationib. operam darent; & ante fores
stantem coeli reginam, quae manib. gerebat uasculū
dulcissimo succo plenum, quo singulos, uti quisq. tem
plum ingrediebatur, reficiebat. Refectis omnib. cùm
ad se uentum esset, existimatis, se quoq. coelestem il-
lum succum degustaturum, ad Virginem accessit. At
ipsa, frustrà, inquit, à me id expectas. Non n. tibi no-
stris reb. opus est; cùm perte tam diligenter tibi con-
sulas: cùm tam studiosè aliorum medicorum ope uta-
ris. Tibi aliunde pete medicinam. Nam solum à me
paratur medicina ijs, qui nullū medicum consulētes,
spem bonae ualetudinis in meo solo nato collocant.
Spretis igitur reb. omnib., quib. ex humanis corpo-
rib. morbi expelli possunt, se ille durissimo, & asper-
rimo uitae generi dedit. Quarè paucis post dieb. cor-
poris, & animi uitib. confirmatus optimè coepit ua-
lere. Quis ergo non uidet; cum mollities, ac nimia lau-
titia omnib. culpae notam inurat, id tamen ijs, qui
sacris ordinib. addicti sunt uitio magis tribui? cùm id
Virgo apertissimis signis etiam indicarit?

M I R A C U L U M

*Quidam, cuius uita non prius bene instituta erat, uisus est
in medys flammis exuri. Iccirco Virginis beneficio resipiscens,
sanctitatis famam, postea adeptus est.*

Schilus, qui prius quam Cisterciensium legib.
se adstringeret, fuerat Dacorum Antistes; cū
uix duodecimum annum agens, in publico
gymnasio Saxoniae grauiorib. studijs operam daret,

G in

MIRACI VIRG. I

50
in grauissimum morbum incidit; ita ut de eius salute
medici desperarent, iamq. ad finem uitae uocaretur.
In illo morbi impetu, & furore in quasdam aedeis per-
duci uisus est, quae e intus maximis flamnis, ueluti for-
naces exardebant. In illis cum & ipse peruri uidere-
tur, nihil miseror erat in conspectu, aut se ostendebat,
praeter ignem, & mortem. Occurrit autem ei forte
ibi angustus locus, quem Deus obtulisse uidebatur; ut
illinc posset effugere, ac se tutum in locum recipere.
Eam occasionem nactus est flammis erupit, & se fu-
gace das in amplissimam, ac regiam aulam incidit; ubi
coeli regina, quatuor luce splendidior, in throni maie-
state confidebat. Eam ipse obtestatus fuit, ut se in si-
dem suam reciperet, tueretur, & conseruaret. At Vir-
go se paullum aratam indicans, illum abire iusit, ei
imperans, ut iterum ad flamas rediret. Eschilus ue-
rò trium optimorum patronorum, qui Virginē seque-
bantur, quorum spectata erat sanctitas, fidem, atq. au-
xilium in capitib[us] caussā implorauit. Illi studiosè, atq.
amanter clientem defendebant; cum ipsa respondens
dixit; quid pro perduto adolescente preces funditis?
qui nec unquam in omni uita mecum semel supplici-
te egit? qui me nunquam salutauit? qui nunquam an-
tehac auxilium à me petiit; optimi uero defensores
singulari fide, & eloquentia eius caussam tuebantur.
praeterea ipse ante Virginis pedes se prouoluens, la-
crymasq. effundens, illam obsecrabat; ut in se odium
ob sua sclera concitatum, ipsa eximia mansuetudine
molliret, ae deponeret. Pollicebatur. n. se postea sibi
optimum uitae genus instituturum; & praeter cetera
futuru dicebat, ut semper suas omneis cogitationes,

post

LIBER PRIMVS.

51

post Deum in ea sola locaret; ut eam apud filium solam aduocatam quaereret. Quod si meus parens, adolescentis dicebat, sciret in quas ego angustias nunc miserè sim coniectus; uel maximo auri, argentiq. pondere, me, si fieri posset, redimeret. Huic coelestissimo ore subridens ipsa respondit; te ne aliquo praemio, aut pollicitatione à me quicquam impetrare posse existimas? aut credis? At ipse, quiduis mihi iube, & impera. ego in omnia statim re ipsa praestabo, modò detur, ne amplius tam crudeliter in tam ardente igne coniiciar. ipsa uero pia, & clementissima, se uno tantu munere contentam esse dixit; si ipse quinque diuersi annonae generis, quinque modios dono deditset: id unum ab Eschilo tributum dependi uolebat. Quarè cum laeto animo adolescentis illud spondisset sanctissimae Virgini; statim depresso morbi furore ad se rediit; & incredibili gaudio triumphans clamare ita coepit: Iam amplius non urar, tibi, Deigenitrix gratias ago, quae me seruasti, quae mihi in tanto incendio opem tulisti. Ea res adstantib., qui iam ueluti mortuum adolescentem luxerant, incredibilem admirationem adulit; cum eum à mortis limine restitutum uidissent; studiosèq. perquirebant, quisnam tanti boni auctor fuisset. Verum nihil ex eius ore excuspi poterat, praeter illa uerba. Gratias immortales immortali Deo, postquam non amplius exurendus, nec flammis absundendus sum. Paullo post omnib. cupidè ab ore pendentib., rem narrauit, ut se habuerat. Praeterea futurum dixit; ut tres illi patrōni, à quib. ante Virginis tribunal periculosisimo tempore fuerat defensus, è uita illo anno migrarent. Quæres euenit; ante

G 2 quam

quām n. annus praeterijsset, illi corporis uinculis soluti sunt; inter quos aderat episcopus Hildesemensis. Eschilus autem tantum in uitae sanctitate profecit ut ob integratem, egregiasq. animi dotes, ad Lundē sem ecclēiam, Dacorum metropolim, omnium ore, & consensu fuerit electus. Itaq. eo tempore memor quinque illorum modiorum, qui adhuc Virgini debebantur; quosq. ille ob salutem partam pollicitus fuerat; ne diutius esset in mora, in ea prouincia diuini afflatus consilio quinq. diuerorum ordinum coenobia instituit. Praeterea acciuit ex intimis Galliae regionib. in quib. tunc egregiè christiana religio florebat, mirae sanctitatis uiros, qui in illis se diuino cultui addixerunt, Deo pure, & integrè seruientes. Inter illa coenobia duo Cisterciensium, unum Cistercij, alterum Clarauali erexit. Demum is honestissima D. Bernardi fama accensus, qui iam apud homines sanctitas opinionem assequebatur, Claraualium se ad illum contulit, cuius è consuetudine uberrimis fructib. perceptis in patriam redijt. cum deinde de D. Bernardi obitu renunciatum fuisset, se Lundēsi episcopatu abdicavit; & Clarauali sub Cisterciensium militia stipendia incepit gerere. Ibi teliquum uitae tempus consumens, se totum ad diuinas cogitationes cotulit. Cum primū igitur iste Virginis nomen colere, animū induxit, quot bonis cumulatus fuerit, uidemus. quis autem unquam feliciter, aut faustè quicquam sibi euenturum sperat; qui post Deum, non ducem Dei parentem sibi proponit? Ea si nos complectatur, nil erit unquam desperandum; omniaq. hōbis prospērē succendent; honestē optata, omnia bene, ac feliciter continent.

gent. Nos uero semper in fidem, ac tutelam suam cle-
mentissima recipiet; si eam pie, sancte, & ex animo
inuocabimus.

MIRAC. VIRG. XXXII.

*Ob atrociam maledicta, quae quidam in Virginē conferebat,
repentino uulnere, diuina ira ulciscente, concidit.*

Quidam
IN Saxoniae regionib. perditissimus homo, in quo
 uno omnia crimina inerant, & à quo nullū atrox,
 & inauditum scelus aberat; praeter cetera ualde
 aleae deditus erat; & ut plēriq. aleatorum solent; in
 lusu detestabatur, ac maledicta conferebat, in omniū
 bonorum auctorem, moderatorem, & perfectorem,
 coelitum regem. Fortè autem, quodam die ingen-
 teis pecunias luserat; & ideo se grauiter excruiciabat.
 Aduenit autē interim amicus, & sodalis aleator, qui
 pro eo in alea succedit; illum accusans, quod nec lu-
 dere, nec Deum, coelestesq. imprecari, nec turpeis de
 illis sermones dissipare sciret. Statim ideo & ipse,
 numis amissis de eo turpisimè obloqui coepit; qui
 cuncta creauit, & ex nihilo excitauit; cuius singularis
 bonitas, incredibilis iustitia, immensa clementia, atq.
 infinita est potestas. Quare omnes, qui illic aderant,
 acerbitate maledictorum perterriti discedebāt, neq.
 illum poterant perferre. Ipse uero in precationib.
 nullum finem, aut modum faciens, Virgini purissimae
 turpiter etiam obtrectare ausus est, in illam turpissi-
 ma conuicia conferens? Hunc nimis impudenter Dei
 clementia abutētem, pudicitiae eq., & uirginitatis re-

ginam

ginam impudicis uerbis insectantem , diuina ira ulta
est.grauissimum. n. eius corpori uulnus iniectum est;
ita ut dura bipenne percussum esse uideretur . Nullus
percussor uisus est;led post grāuemictum nudato cor
pore statim sanguine uulnus cruentum , apparuit .
Quare impius nefandis querelis aerem implens effe-
ram animam extrusit , quae à Satana abrepta est . Ea
res maximum terrorē ob tam repentinam caedem
uicinis omnib. incusit; & alter ab altero caussam ue-
stigabat;llucq. fiebat maximus concursus . Cuidam
uerò nouae rei studio eodem se conferenti,in uia ami-
ci,qui iamdiu uita functus erat , anima se obtulit ; il-
lumq. monuit de eius , ad quem properabat , morte,
addens etiam caussam . Nam Christus,inquit,libera-
tor noster, licet saepius à uobis mortalib. uellicetur;
id tamen quandoq. aequo animo ferre cōsuevit . Vbi
uerò eò temeritatis , & impudentiae processistis ; ut
etiam de illibata,& purissima coeli regina,impudēter
audeatis loqui; tunc difficillimè contra uos odiū con-
citatum lenit . His dictis discessit amici anima;ipse ue-
rò recta illuc abiens , maledicūm uulnere confol-
sum inuenit . Qui ibi aderant, rem diligenter signifi-
carunt;ipse autem de ijs,quae exposita fuerant , om-
neis certiores facit.

MIRAC. VIRG. XXXIII.

Male multatus fuit sceletus, qui Deum detestabatur.

REm memoratu dignissimam Gherebaldus Ci-
sterciensium praefectus narrare consueuerat.
Quidam.

LIBER PRIMVS.

55

Quidam n. obsceno, & inquinatissimo ore de puritatis regina loqui consueverat; qui, si non meritas, tamē aliquas poenas dedit. Vis. n., ac potestas cacodaemoni eius torquendi data est; qui adeò miserè scelestum excruciat, ut os totum distortum, eiectosq. longè oculos, atq. emissam è turpi, & maledico ore linguam pérpetuò contineret. Quare nec turpius, nec deformius monstrum in terris unquam uisum est. Sic quod saepè à mortalium iudicib., non sine dedecore, negligitur, ulciscitur diuina ira.

MIRAC. VIRG. XXXIIII.

Acerrimè à cacodaemonib. mulier moriens torquetur, quia admissum in adolescentia peccatum semper reticuerat, reposita uero iterum anima corpori, & pura, ac sincera eius peccati confessione expiata, seruatur.

Lectissima, & pudica matrona, licet uiro locata esset; se tamen coelo digna gerebat, cui in pie- tate erga Deum, hominesq. nulla mulier illo tempore aequari, aut comparari poterat. Verū quadā labē eius animi conscientia infecta, & inspersa erat; quia grauem culpam in adolescentia cōmissam nunquam sacerdoti aperuerat, uti Romana ecclesia piē, ac sancte instituit. Ea, cūm diem suum obijisset, nondum illo crimine sacerdoti patefacto; fortè inhumatū cadauer in templo seruabatur; quod ad cohonestandum funus eius filia exspectaretur, quae paullò longius aberat. Post filiae aduentum, quae flens querelis templum repelebat; tanquam somno excita mater resur

resurrexit; filiaq. obsecrauit, ut è manib. arcta uincla tolleret. Illis sublatis se è feretro repente erexit, sacerdotemq. iussit accersiri, cui peccatum inani quodā pudore praetermissum, reb. suis melius cōsulens edit. Quarè cùm illuc in templum multi cōfluxissent, ipsa omnib. miraculum narrauit. Nam se ab impijs cacodaemonib. inusitatissimis suppliciorum generib. excruciatā fuisse dicebat, quia illud celauerat, quod tamen coram uirgine millies confessā fuerat; & cuius ueniam quotidie ab ea non sine intimo, ac penito dolore orauerat; cuiusq. caussa saepè se Christi regis pēdib. deuoluerat, eius misericordiam implorans. Dei igitur sempiterni filia, quae nobis in nostris tempestatib. est certissima tranquillitas, quae naufragium patientib. tutissimus est portus, lucidum coeli decus, nefariarum belluarum supercilium retudit; auidasq., & impuras manus à muliere torquenda abstinere ius fit; donec à filio perspecta esset caussa, & cognita. Ipsa dulcisimum natum obsecrauit; ut mulierem ab illorum cruciatib. eriperet; qui illam suis iurib. addictam esse dicebant. Nam culpam illam, cui se in adolescētia mulier adstrinxerat coram se ab eadem acerbissimo dolore, saepius defletam fuisse, Virgo dicebat. Matrī filius ita respondit. Non ignoras, pia, & dulcissima parens, firma, atq. immutabili sentētia statutum esse, ne quis absq. omnium peccatorum, quae uiuēs adserit, pura expiatione, fidelis confessionis sacramēto facta, poscit unā cum beatis aevo frui sempiterno. Quòd si mortalis aliquis uel minimum flagitium retineretur, uiolata, & fraudata confessoriis sancta institutiōne; is infernis poenis addicitur, nō è iusto & firmo iudicio

TII 191

LIBER PRIMVS.

57

iudicio potest euadere. Huic uero mater, nihil est, o carissime nate, quod tibi non sit facillimum, cuius est infinita potestas, quem uerentur omnia; cui omnia parent. Ne obsecro huius matronae spes, qua in mente nitebatur, decidat, aut fallatur. Satis n. ea esse existimabat, si uni mihi delictum suum aperuisset; ad quam omnib. in cogitationib. semper cōfugiebat; cuius sibi opem praestō semper futuram sperabat. Necesse est, filius inquit, o mater, ut quae cunq. à me petis, omnino impetrantur. Verum quia lege firmissima & inviolabili sancitum est, ne quis, ubi ē uita migravit, mortis ē tenebris eripiatur, si illis addictus sit, nec amplius fraudatae confessioni possit satisfacere: opus est, ut huius anima ad corpus redeat. Ibi. n. id, q. ommiserat, sacerdoti sincere confitebitur; & dolorē eam ob rem animo interiori feret, ut poenam, quae exigitur, possit effugere. Solo ergo eius nutu, qui cuncta supercilium mouet, aduenit Angelus; qui cā codaemones in mulierem crudeliter saeuientes expulit; animamq. ibi in templo, ut omnes uiderant, reposuit corpori. Iccirco cūm omnia in confessione prius omisssa, plenē praestitisset, illuc abiit, ubi semper im mensam, & incredibilem Christi clementiam perpetuis laudib. & hymnis efferet. Nam super feretro capite imposito sanctae crucis signo armata iterum expirauit.

scendere est in hoc loco in aliis. Propter
taciturnitatem, certe decesserunt, ac cōfessiones fecerunt.
Hunc, cūm spes in dñe, in dñe, in dñe, in dñe,
Cristus mortuus est, et resurrexit, et in dñe, in dñe,
miserere nřigini apostoli communiquari. Per illas
D. Ioseph.

H M I-

MIRAC. VIRG. XXXV.

Pax inter duos coenobitas, quorum alter acerbum odiū exercebat, alter pro aduersario Deum orabat, Virginis prouidentia, componitur.

Intra duos Cisterciensis aderant quaedam similitates. alter eorum non modò nō ira flagrabat; sed etiam pro aduersarij salute quotidie Deum deprecabatur. aduersarius autem, quo in illo clariora benevolentiae signa apparebant, eò acerbius odium exercebat; quod minimè unquam leniebatur. Quin immò; ut eum grauius ulcisceretur, innocentem falsa accusatione & turpissima reū agere, ausus est. Quam obrem accusatus innocens, defensionis suaē robur in disertissima aduocata, Dei parēte, positum habebat. Fortè autem dum noctu in templo unā cum alijs Deum precaretur; falsae accusationis cogitatione animum ab instituto abduci finebat. Longè igitur ab alijs in remotissimum facellum secessit; ubi ante Virginis simulacrum prostratus eius opē flens, ac dolore se interimens exposcebat. Interim ipsa lux alma pietatis, nullam moram interponens, sole splēdidior, ē dextra facelli partē ad monacum propius uisa est accedere, & eius dolorem lenire. Propè ipsam aderat iuuenis, cuius decora erat, ac coelestis facies. Hunc, cùm aspera in cruce, effuso innocēti sanguine, Christus mortem crudelissimam obiret, apud ipsam piā matrem filij parteis uoluit obtainere. Virginē. n. matrem uirgini adolescenti commendauit. Erat ille

D.Ioan-

LIBER PRIMVS.

59

D. Ioannes, qui altè coelestia arcana uestigauit, qui
praeclarè ea assècutus est. Dū uero sanctissimæ tria-
dis, ut semper fieri solet, in precationum extrema par-
te, in templo precantes gloriam referrent; Virgo, &
iuvensis se submiserunt. illa. n. uerba honore prosecu-
ti sunt, non aliter, ac soleant disciplina christiana be-
ne imbuti; cùm illa uel in templis, uel in publicis sup-
plicationib., aut statis sacrificijs exaudiunt. Con-
uertens autem Virgo se ad miserum dolore diuulsū,
eius moerorem illis uerbis leniuit, quib. coelum ad-
mirabili laetitia totum solet triumphare. Scire ipse
studebat, cur ipsa & adolescens Virgo auditis illis ver-
bis; GLORIA patri, & filio, ea tantopere uene-
rati fuissent; at ipsa dixit, non esse cur eam ob rem af-
ficeretur admiratione. Nam quoties, inquit, in terris
trini numinis potestatem, & gloriam mortales memo-
rant, toties coelestes, ac coelestia omnia ultrò ad eius
laudes memorandas, dulci concentu ferri solent. Hic
dicendi fine facto, statim abiit, suauissimo odore tem-
plum replens. eius suavitatis non expers inuidus ac-
cusator, qui à pio uiro capitali odio prius dissidebat,
& sentiens. è Virgine, diuinum illum odorem proue-
nisse, se se statim collegit, & innocentem falsò à se ac-
cusatum fuisse, confessus est. Summo manè, cum cete-
ri omnes de admirabili illo odore inter se loqueren-
tur, eius caussam ignorantes, ad praefectum pius, &
integer monacus properat; & quac noctu in recondi-
to facello uiderat, audiueratq., omnia diligentissimè
exponit. Obstupescerat praefectus, uixq. ad ea cre-
denda poterat adduci. Interim autem ipse falsus ac-
cusator aduenit, misericordiam obsecrāns, criminisq.

H 2 falsi-

falsitatem, & suspicem accusationem liuore, & odio à se institutam dicens. Cur tam facile ille rectam uiā iniuiisset, misabatur praefectus nesciēs, unde tam repentina mutatio proueniret. Tunc ait ille, & ego coelestis illius odoris particeps fui, qui in cor meum mirifica illa suavitate ita penetrauit; ut malevolentia, & odium statim in benevolentiam, & ardentissimū amorem conuersum fuerit. Quamobrem ad illud facellum, ubi ea uisa fuerant, praefectus cum coenobij antiquorib. properat; omniaq. adhuc mirabilem illum odorem suauissime afflare perspexit. Re ipsa aperte uisa, lapides illos qui coelestem odorem afferebāt in abditissimum sacrarium recondi ius sit. lapidib. autem maior religionis dignitas inerat, quia pressi, & tacti fuerant à sanctissimis illis Virginis pedib. Ideò perpetua eius miraculi memoria, ab omni posteritate, semper maximo cum triumpho excepta est.

MIRAC. VIRG. XXXVI.

Virgo desperantem clericum confirmat, eidem os, & linguā rabie quadam morbi ferè diuulsam curat; quia saepe ab eo consueuerat laudari.

Clericus, quia maximè diuitijs affluebat, mundi illecebris ualde erat deditus. Illud tamen in ipso maximè laudandum erat, quia ubi templum aliquod adibat, statim incredibili obseruancia, illis uerbis uirginem salutabat, quib. aeterni regis nomine, à coelesti nūcio salūtata fuerat. Deinde uero se ad filium conuertebat, beatam dicens castissimā aluum,

alium, quia eum ipsum coeli regem gestauit. Forte graui
mo: bo oppressus, eius uī, & impetu ita agitabatur, ut
sibi labra, lingua mīq. dentib. perroderet. Sibi etiam
ipso manus intulisset, ni eius conatui se domestici ob-
iecissent, cum igitur in lecto nullam quietem inueni-
ret, & in statu miserrimo iaceret, propè lectum iucun-
di aspectus iuuenem uidit, quem coelestem Angelū
a Deo sibi custodiae caussa datum iudicauit. Ille iam
morbo paenè cōfecti aerumnarum misericordia ad-
ductus, haec non sine maximis querelis dicere uide-
batur; & ita Virginem alloqui; lux pietatis, & clemen-
tiae, haec ne sunt praemia deuinctissimi tibi animi,
& assiduae salutationis? siccine miseri huius lingua
torquetur, nil loqui assueta praeter egregias tuas, fi-
lij. laudes? eheu si iam deseruntur, qui tibi sunt de-
ditissimi; quis unquam suos tuebitur, quis unquam in
quoquam spem ullam collocabit? si iam in miti illo pe-
ctore praecl̄o nō est pietas, quis adduci poterit, ut
cuiusquam miserefcāt? Mortaleis posthac spes desti-
tuet, prostratae, & percusae eorum mentes iacebunt;
ni apud te inueniunt perfugium. Dum haec propi-
tius, & custos aegrotantis Angelus loqueretur, Virgo
utriq. apparuit, quae proprius ad miserum morbo con-
fectum, & ferè exanimatum accedere, & alterū ex san-
ctissimis ubetib. detegens, ex illo paullum lactis pre-
mere uisa est, quo semirosum os, ac ferè dissectam lin-
guam leniter inspergebat. Quare & linguae pristi-
na integritas, & labris suū decus, ac pulchritudo; toti
autem corpori firmissimae uires restitutae fuerunt.
Neq. uero id occultis, sed apertissimis signis fuit de-
mōstratū. Statim. n. ille refectis uirib. uno momēto to-

tus

tus exsultans surrexit; quod etiam labra, & lingua è deformissimis, ac ferè diuulsis, forma, & ornamento suo recepto indicabant. Ipse uero postea ad Deum, Virginemq. sua omnia consilia, & cogitationes referens, pio uitae genere instituto, se religione adstrinxit.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Adolescens clericus, Virginis simulacri dexteram annulo exornat; imago uero annuens manum perstringit.

ALiquot adolescentuli clerici propè templum pila ludebant. Vni ex illis erat annulus, munus ab adolescentula amica missū. Quia uerebatur, ne annulus è digito, dū ludebatur, caderet, aut frangeretur; in proximum templum accurrit, ibi interim detractum annulum depositurus. In ipso templi limine statim pulcherrimum Virginis simulacrum, quod marmoreum erat, occurrit. Ante eius pedes se adolescens prouoluens, tu, inquit, illā pulchritudine exsuperas, quae mihi annulum donauit. Iccirco te solam amare statuo. quae cùm dixisset, digitum marmoreum annulo exornauit. Ipsum uero simulacrum, res dictu mirabilis, pueri uotis annuens, manum illo accepto perstrinxit. Id cùm plurib. ab adolescenti fuisse expositum, eum omnes hortabantur, ut reb. omnib. relictis, se totum Virgini, eiusq. filio traderet. Sed adolescentem diuitiarum copia longè ab instituto amouebat. Ex illis. n. communis hominum pernicies prodit; per eas fit, ut à ratione difsentiamus, & à praeclaris coeptis recedamus. Itaq. paucis

paucis post dieb., se ille matrimonio adiunxit. At Virgo, post nouam nuptam domum deductā, se adolescenti in somnis obtulit, annulū ostendens, ipsumq. perfidiae nomine accusans. Ille somno solitus, quia Virginis imago posteā effugerat, uanum esse somniū existimans, nondum ab uxore animum auertere decreuerat; sed manebat etiam in priori sententia. Verū iterum dormiens ipsam ualde iratā, grauiterq. minan tem uidit, & ora auertentem. Ea res adolescenti tantum terrorem incusit; ut noua nupta relictā, ex affluē tib. diuitijs in solidudinem paupertatem quaesitum iuerit. Quarē ibi se Deo, & Virgini uouens, promissae fidei, annuliq. sanctissima foedera, factus monacus semper constanter obseruauit. immortalem.n. sponsam sibi salua uirginitate maluit, quā mortalē illā, cui integra puritate, saluaq. fidei promissione, ac foedere, minimē inseruire poterat.

MIRAC. VIRG. XXXVII.

Mulier à filio compressa editum partum necat, tandem a codaemone in iudicio accusata, Virgine aduocata, quam ex animo innocauerat, utroq. crimine prius pia confessione expiato absolvitur.

PAtricius Romanus assiduis uotis, ac precib. immortalis Dei benignitate filium susceperebat, quem plus oculis suis amabat. Vir erga Deū pius, ardenti illo amore, quo filium prosequebatur, quotidie iacturam fieri intelligebat in ea obseruāria, & studio, quod singulare erat in bonorum omniū auctore

etore uerè, & ex animo colendo . Quarè, ut fragiliū,
& caducarum rerū memoria deleta; ad diuinās, aeter-
nasq. animū penitus traduceret, uxore adprobante
in remotissimas regiones, procul & à patria, & à iu-
cundissimi natu conspectu recessit. Vnicum ergo ma-
tri solatium filius relinquebatur, post mariti discessū,
quem ipsa gremio souebat; quē millies quotidie oscu-
labatur. Mirificus amor effecerat, ut, licet iā ex ephoe-
bis filius excessisset, unā cum illo, à quo nunquam di-
uelli poterat, eodem in lecto iaceret. Sed incauta, &
imprudens in illo pugnae genere hostem perseque-
batur, in quo nobis Parthorū more, qui fugientes ia-
culantur, & certant, pugnandum est. In illo impoten-
tissimi amoris confictu, infelici euentu contendit.
Noctu. n. à filio, quem semper in lecto secum conti-
nebat, compresla, & grauida facta est. Infelix ita
eius criminis dolore perculsa est; ut parū abfuerit,
quin se ex aliquo loco praecipitem daret. Verū magis
salutari consilio freta, pro certo habens, grauitatē
sceleris, maxima uirginis, ac filij pietate expiari pos-
se, omne tempus ieunijs, & precationib. cōsumebat.
Miris praeterea modis intumescentem aluum tege-
re, ac celare conabatur. Tandem cūm maturi partus
tempus aduenisset, puerum enixa est, quem proprijs
manib. occisum in turpi, ac foetido loco sepeliuit. La-
tuit ea res per aliquot dies. At impius Satan, nō con-
tentus, dum misellae animā sub ditione sua tenebat;
quod reliquū uitiae mulieri fuerat, perturbare, & gra-
uiorib. curis miscere conabatur. Scelestus ergo di-
uino permisso Romam petiit, adsimulans se adolesce-
tem clericum, qui grauiorib. studijs illic datus esset
operam.

operam. Quarè se miris, & immortalib. laudib. in coelum efferre; & praeter cetera à diuinandi arte se hominib. ualde commendare. Ut autem incautos, & imprudenteis Romanos facilius in fraudem alliceret, in ea arte statim omnium in conspectu periculum facere properabat. Nunc n. fures, nunc homicidas, aut sicarios detegebat; nūc eius artib. abditissima quaeq. in lucem prodibant. Vbi eius fama per totam urbem percrebuit, coacto ciuium Romanorum concilio hu- iusmodi orationem habuit, quae non uidetur pre- tereunda; ita n. inquit ille. Si uerbis meis, Romani, fidem adhibebitis, meq. attentè audietis; nae uobis ego rem aperiam, nouam, horribilem, atrocē, & inuisitatem; ad quam credendam eius nouitate, & imma- nitate uix adducemini. Demiror autem cur haec ci- uitatis iam non ruerit alto à culmine, ac solo aequata fuerit; postquam in ea scelus patratum est, quod omnia scelera uincit, ac superat. Incredibilem quidem erga uos pietatem & patientiam Deus exercet. Nam matrona illa, quae hoc tempore apud uos pudicissima, & sanctissima habetur; quaeq. suis dolis sibi mirabilis integratatis nomen adepta est, omnium feminarum, quae sunt, quae fuerunt, quaeq. futurae sunt, impudicissima, crudelissima, ac scelestissima est. Quarè ille omnia palam protulit, & impiam infantis nati caedem, & detestabilem cū adulto filio incestū. Sed auditores, quib. apertissimis signis matronae p- bitas perspecta erat, & iamdiu cognita; id minimè de ea cogitandum esse dicebant. Cūm eam opinionem cacodaemon illorum mentib. imprimere conaretur, ita loqui coepit. Extruite Romani iudices pyrā, mu-

I lieremq.

lieremq. in iudicium uocate, ac sistere ante ora , con-
spectusq. uestros iubete : nisi enim ego id apertissimè
probauero, in illam me coniuncate ut igne cremer , &
exurar . Quod si uicta ipsa succubuerit, ibi flammis
iudicata consumatur. Matrona igitur accersita , eius
aduentu omnes adsurrexerunt, eamq. benignè exce-
perunt , quae in primatum numero erat.unus uero è
primorib. ita ipsam allocutus est. Scimus quidem tibi
non ignotam esse noui uatis famam , & uirtutem , qui
adhuc infinita , & incredibilia admirabilis scientiae
documenta dedit. Is qui omnium uatum in diuinandi
arte, est praestantissimus, non sine omnium dolore te
horum criminū ream agit; & de te graue suppliciū su
mēdū clamat. neq. uero putes ab illo ista cōfingi quae
se perspicuē pbaturū pollicetur. uel tu fatearis crīmē,
uel caussam dicas, & innocentia tuearis. Mulier autē,
quasi diuino afflatu instincta, haec ita respōdit. Quia
ciues, res, quae in iudiciū uenit, grauissima est, in qua
de capite, de fama, de fortunis meis omnib. dimicādū
est; quid mihi sit agendū, prius maturo consilio perpē
dendū est ; ne quid temerē, ne qd incōsultō , ne quid
imprudēter in tā arduo negotio aggrediar. Neq; ue
rō mihi tutū esset in iudicio sistere sine optimo patro
no. consilium ergo capiam , & aliquem mihi aduoca-
bo , qui crimen diluat. Ea res uniuerso Romanorum
confessui probata est , & mulier nulli homini fidens ,
nulliq. aperiens mentis suae rationē Lucianum Pon-
tificem maximum adjit. tota prius in luctu uersans ,
& se lacrymis conficiens, ex admissis peccatis intimū
dolorē exauriēs, aīo altiū Christi uulnra coepit cō
templari; deinde eius benignitatē obtestata est. Quā-
obrem

obrem hoc resipiscentis animi aditu ante Pontificis
pedes postrata scissa ueste , passisq. crinib., nefarium
inceustum, crudelissimamq. necem apertè confessa est.
Praeterea eundem suppliciter precata est, ut sui mi-
seresceret, eaq. potestate crimina expiaret, quam ei
Christus tribuit. At optimus maximusq. parens, mu-
lierem bono , fortiq. animo esse iussit. licet enim sce-
lieri maxima inesset atrocitas, tantam tamen Dei cle-
mentiam esse dicebat, ut ea omnia exsuperarentur.
Iccirco ueram, ac constantem delicti ueniam supplici
mulieri pollicitus est; illamq. monuit, ut Virginis opē
ad leniendam filij iram imploraret, cùm ea tutissimū
sit mortalium perfugium. Eā ergo illa facultate Pon-
tifex absoluit, qua coeli fores aperire, & claudere po-
test; illiq. solius dominicae precationis semel dicen-
dae onus inituxit. Haec mulieri spem auxerunt, quae
statim ad coelum manus tollens, uirginem rogauit, ne
sibi in tam graui iudicio decesset, in quo de uita, ac sa-
lute dimicabatur. neq. uero eā spes iniecta fefellit;
neq. surdis aurib. preces effusae fuerūt. Dicta enim fe-
rendae sententiae die proficiscentē in forū mulierē,
affinib. commitatam, virgo nunquam deseruit. Illic
uerò unus è potentiorib. ciuib. ita pseudouatem allo-
cutus est. En ea quam accusas, sistit; quid obijcis?
quid in illam culpae confers? At ipse, non ea est, in-
quit, quam ream esse dicebam; quae nefaria, scele-
sta se turpissimae libidinis criminē contaminauerat;
quae prius de medio filium extulerat, quam posset iu-
cundum hunc coeli spiritum ducere. Tota enim mu-
tata est; ita ut aliā esse cēseam; & quae prius turpi labe
commaculata erat, nunc pura, nunc uita integra est.

1 2 Praete-

Praeterea una cum ipsa in iudicio adest regina, inter filias Hierusalem pulcherrima, cuius nomen non audeo memorare, sed perhorresco illud referens. Praestò. n. est mulieri Dei sponsa immortalis, quae ipsam custodit, ac tuetur. Id cum Romani audiuerint, & iam falsus uates ob Virginem expauesceret, repentino timore perterriti sanctissimae crucis firmissimo signo se muniuerunt. Quamobrem ille, crucem ferre non potens, leuib. uetus simillimus, dispersus, ac disiectus se in fugam coniecit. Ea res omneis incredibili laetitia affecit, qui immortales Deo gratias egerunt, mulierq. in tam capitali iudicio uicit, & absolta est.

MIRAC. VIRG. XXXIX.

Virgo morienti uiduae pauperi, sed honestae adest; dum dimiti, & improbo animam efflanti praestò sunt cacodaemones.

Sacerdos opib. quidem affluens, sed parùm spectatae uitae, eodem tempore accersitus fuit; ut opem ferret diuiti homini, ac pauperrimae uiduae, qui in extremis laborabant. Illum. n. ea perage oportebat, quae ecclesia praecipit ac iubet; & quae illo tempore a pio facydote desiderari solent. ipse uero absq. ulla mora statim ad diuitem properauit; quippe qui magis ad eius diuitias attentus erat, quam ad periclitantem animam facris ritib. & sacramentis adiuuandam, & contra perfidum hostem Satanā armandam. Pauper autem mulier ex animo conciderat; neq. eius cura ulla gerebatur. Dum à diuite minimè diuelli posset; ad illum iterum uiduae nuncius accessit,

accessit, per immortalem Deum eum obsecrans, ut ad misellam properaret, quae derelicta in uitae discrimine uersabatur. Sed ipse animo statuebat, è diuitis porta pedem non efferre. aderat ibi fortè diaconus sacerdoti inseruire assuetus à quo ille accusabatur, q̄ pauperib. in ijs, quae in tanto periculo opus erāt, & quae diuino pracepto praestare cōpellebatur deesse uellet. Eos, n. licet sint pauperes, opus Dei maximi esse, atq. ab ipso rerum omnium artifice suisse creatos, dicebat. Quod si illos in minimis posuisset, monebat, exactam eius rei rationem apud Deum reddendam esse. At quia auarae mentis consilium flecti minimè poterat Diaconus inquit, o sacerdos permitte, ut ego saltem ad illā eam; ne opportuna sacra postremò hoc in tempore illam deficiant. Id cùm datum fuisset, ille statim sacrosanctam eucharistiam piè, & sanctè attollens, ad pauperis pauperem domunculam properat; ubi neq. cognatus erat, neq. amicus, neq. diuitiae, neq. supplex, neq. ornati quicquam; sed tantum antea uitae decora, & honesta fama, ac gloria. Et profecto, sicuti ante diuitis lectum multi eius diuitiis inhiantes aderāt, ita propè uiduam stabant uirgo, piarum uirginū choro consepta; unaq. omnes graui morbo laboranti candidissimis linteis sudorem ablergebant. His uisis pedem referebat diaconus, quem tamen Virgo iussit accedere. Deinde sanctissimam eucharistiam una cum alijs uirginib. ipsa sanctè uenerata est; maximumq. illi honorem habuit. Vbi uero mulier Christi corpus sumpsit, omnib. ritè, & solemniter peractis, diaconus laetitia, & gratulatione plenus domum diuitis illius redijt. Sed ibi propè mise-

rē

rè lectum ingenteis molossoſ comperit; quorum horribili aspectu aegrotus perterritus, ejcīte, dicebat, mordaceis illos canes; mihiq. misero, ac perditō succurrīte. Idem retulit, illuc aduenisse quendam minaci uoce, & aspectu feroci, qui in miseri fauces adūcum ferrum defixit; itā ut ē corpore animam extrusērit, quam secūm ad cruciatus perferendos rapuit. His itā perterritus fuit ille, ut fere ſemianimis ceciderit; quem adueniens Dei parens iusfit bono animo eſſe. Non n. inquit, tibi cacodaemonum impetus metuēdi ſunt, quem coeleſtis gloria moratur; & cui definitus eſt in coelo locus. Se ſe igitur deposito metu colligens, gratias uirgini egit; uberrimosq. sanctitatis fructus ex ijs, quae uiderat, in toto uitiae cursu ſemper percepit.

MIRAC. VIRG. XXXX.

Virgo Bonitum antistitem Aluernensem coeleſti uete donat; cum illi rem diuinam facienti adiuifet.

Bonitus antistes Aluernensis, beatus uir ita ſe compararat, ut totus eſſet in colendo Chriſto, eiusq. matre Virgine, & unicum ibi animi ſolatiū ſitum haberet. Is, cum unā cum plurimis alijs eſſet in D. Michaelis templo, in remotam templi partem ſe abdidit; ut animus ad Deum, quem precebat, eſſet propenſior. Re diuina facta omnes praeter ipsum domum reuersi fuere; qui, licet diligenter ab aedituis fuiffet perquisitus, ſempertamen latuit. ob id sanctus uir alacriori animo ad meditandum ſe contulit.

LIBER PRIMVS.

71

tulit. Quod piè, ac sanctè faciens, haec uidere uisus est. templum. n. Maria Angelorum, & coelestium chororum stipata ingressa est. omnium uestes erant candidissimae. Ipsa uero filij laudes suauissimo concentu canebat; ceteri ipsam diuinis laudibus prosequabantur. Itaque in templo sanctae, & solempnes precatio[n]es habita[re] sunt. Tandem ubi ad sacellum maius uentum est, quaerebat inter se coelestes, quinam ad sacrificium faciebū aptus esset. illis Virgo respondebit, ad eā rē idoneum esse Bonitum praesulē, uirum summae sanctitatis. Jam ipse audiens, retrocessit, & contremiscēs, non potuit perferre mortalib. oculis immortalem illum Virginis splendorem. dum autem solo Bonitus cessit, dimotus est, atque una cessit lapis, quem eius pedes tunc presserant; & impressi gradus signum ibi apparuit, ubi posuerat uestigia. lapis adhuc ibi ad tanti miraculi memoriam adseruatur. Denique effugere non potuit, neque latitare. Ad coelestem. n. illum immortalium chororum deductus, sacratis uestibus exornatus rem diuinam piè, ac sanctè fecit, cui diuini ministri inseruientes praestò fuerunt. Sacris peractis Virgo in coelum ascendens diuina ueste pium episcopum donauit. Huius rei ita constans est fama apud Aluernenseis, & praelertim in urbe Monteclaro; ut adhuc ibi uisatur uestis illa, & diligentissimè ac mira religione custodiatur. Verum humanis oculis minimè discerni, aut iudicari potest, quomodo ea sit contexta. Mirus quidem, ac coelestis illi candor inest; & ita pulchritudine, & ornatu excellit, ut nemo dignoscere possit, illane hominum manu, an acu coniuta, an è coelo sit demissa.

MI-

MIRAC. VIRG. XL I.

Rustico probatissimae patientiae homini lux oculi iamdius amissa, et corporis graui morbo afflicti integritas restituitur.

PAUPER, qui se in opere rustico exercebat, forte fortuna nudo pede in lapidem lapsus est. dolore pedis uictus eò dementiae peruenit; ut cacodaemonem appellaret, dicens, illic ab ipso male feriatum lapidem illum fuisse positum. Vix autem ea dixerat, cùm se totum magna ui, & impetu, feruentissima aqua perfundi persensit; quae miserum ità male multauit; ut aliquantum temporis exanimatus iacés, utriusq. oculi lumen amiserit. Verum eo domum perducto, ex ademptis luminib. sinistrum tantummodo fuit restitutum. reliquum autem corporis ob foetidā illam, & feruentem aquam, curuum, deformē, ac distortum factum est; ita ut semper in lecto infelici iacendum esset. Quamobrem è specula, lectulo proxima, misericordia freti aliqui uictum dabant. Sed ipse, licet dura egestate, morboq., qui nunquam intermittebatur, opprimeretur; nunquam tamen despōdebat animum; sed gratias immortali regum regi agēs, illis orabat felicitatem, à quib. quotidie beneficijs affici consueuerat. totos praeterea dies ieiunijs, lacrymisq. consumebat, ex ipso misericordiae fonte misericordiam se hausturum sperans. aurea deinde illa sentētia in eius ore semper uersabatur, **Q V E M D I L I G O C A S T I G O**, illa corpori accidisse dicens, ut animae salus afferretur. Iccirco quamuis calamitatē, atq. infortuniū

LIBER PRIMVS.

73

infortunium aequo animo ferebat. Fortè, cùm matutinarum precationum signum aere campano exauditum esset, è lecto caput extulit, ac de more, ecclesiaq. instituto manus ad coelum extollens, se Deo piè commendauit. Repentè autem diuina pulchritudine mulierem praestantem & ueneratione dignā uidit, quae eximiam eius patientiam miris laudib. effrenis haec ita locuta est. Velim scias acceptissimas, & maximè gratas esse assiduas tuas preces immortali Deo, quib. uictus tibi honestissima quaeq. liberalissimè pollicetur, & offert. cura ergo, ut perducaris ad Mariae templum, atq. illam ibi ex animo pro salute tua obsecra. Statim enim senties, quid coelestes uires possint. Stās ante Virginis simulacrum, post alias preces, sibi pristinam ualeitudinem, atq. alterius etiam oculi tamdiu amissam lucem restitutam uidet. Quae res incredibili admiratione omneis populos, & nationes affecit, ac inde ipsi Virgini apud omneis maxima solidaq. laus & gloria emanauit.

MIRAC. VIRG. XLII.

Virgo à filio uitae aeternitatem equiti impetrat; quia die sibi dicato, ab eripienda Virginitate puellae, quae Maria dicitur, se continuuit.

Ditissimus, & strenuus eques, licet ad uxorem nunquam animum appulisset, illam coiugij uitam otio nimis plenam existimans, erat tamen in libidinē ualde propensus, mulierumq. consuetudine ad coecam cupiditatem explendam abutebatur.

MIRAC. VIRG.

74

tebatur. Forte Normandiae regionem petens, ut equestris ludis interesset, in ipso itinere uenustissimā adolescentulam conspexit; è qua non prius declinavit oculos, quām toto pectore flamma concepta fuerit. Ad eius patrem fidum amicum misit, qui illi aurū, & adolescentulae pretiosam uestem polliceretur; ut ea potiri posset. Id cùm impetratu facillimū fuisset, apud auarissimum parentem, qui etiam rei familiaris angustia premebatur; infelix puella patris iussu ad equum deducta est, filiae enim virginitatem improbus pater pdebat. miserrimè ipsa tristabatur, ac se se grā ui solicitudine interimebat; q̄ virginitatis carissimo pignore spoliāda esset. Illi uero eques respōdit, Quid fles puella? quo nomine appellaris? ad hostem ne, an ad amicū te accedere putas? Ipsa inquit Mariae mihi nomen est, flendi autem iustissima est cauſa; cui melius esset honestē nūc mori, quām amissio pudicitiae flore turpiter uiuere. Illam enim ego virginī sancte promiseram. Quod si parentis mei paupertas non obstatisset, iam virginum alicui ordini sub virginis ditione me addixisse. Vix ea dixerat, cùm Dei max. pieitate ita diuino afflato sauciatum fuit cor equitis, ut omnino immoderata illa libidinis flamma extincta fuerit. Ad eam ipse conuersus ita loqui coepit. Postquam haec est nox, virginī sanctissimae dicata; postquam tu Maria appellaris, maris stella, & tranquillitas, per sanctam huius noctis religionem testor ex animo meo omnem nefarij stupri cupidinem qua incensus, & inflammatus fueram, concidisse. Quinimo haec nox mihi in clarissimam lucem conuersa est, qua offusae tenebrae ex animo meo expelluntur. Quia autem intelli-

LIBER PRIMVS.

75

intelligo, te honesto desiderio trahi, ac rapi, ut in virginū aliqua religione, virgini virgo inferuias, me tibi huius rei auctorem, & adiutorem polliceor. Cum ergo sub equitis fide, tota nocte intacta iacuisset, postero die in equum insiliēs, una cum ipso abijt, & pro pè illum locum, ubi equestres ludi celebrandi erant, ipsius auspicio sacro piarum uirginum coetui fuit dictata. Praeterea eam ob caussam multa ille promisit, futurum dicens, ut ibi omneis ipsas quotannis inuiseret. Forte miser in ipsis ludis occisus; & in arena ipsa, more eius prouinciae, non sine maxima funebri pompa sepultus est. Interim adolescentula, virginī sanctissimae summa ope placere studebat, ad quā à teneris omne animi studium cōtulerat. Deinde optatum equitis aduentū, cuius caussa in illum ordinem cooptata fuerat, expectans, illius salutem Christo piaeque matri non sine maximis lacrymis quotidie commendabat. Sed quia sanctimonialium praefecta, se ab equite deceptam dicebat, qui ex ijs, quæ innumerabilia promiserat, nihil re ipsa praestabat; adolescentula uersabatur in acerbissima sollicitudine. Quarē Virginem suppliciter rogabat, ut uel de illo aliquid nuntij perferri sineret, uel ipsa dolorem leniret. Saepius uocata pietatis parens tandem aduenit, prostrataq. & dolore examinatam erexit, & consolata est. Te, inquit, summi regis filia luctum omnem iubet depolare. Ille n. castè, & sanctè à te dilectus eques in primo certaminis cōgressu interfectus, in eo loco, in quo concidit, reconditus est. Sed quia nominis mei obseruantia, se ab eripienda tibi virginitate abstinuit; & illum peccatorū omnium ex animo poenituit, coela

K 2 fuit

MIRAC. VIRG. I

76

fuit adiudicatus. Quamobrem ad praefectam properavit, illi dic uerbis meis; ut equitis cadauer in arena sepultum sacrato loco inferendū curet, ne sancto, ac pio christianaē sepulturae honore careat. Ut uero idipsum clariori indicio comprobetur, in cadaueris ore purpuream rosam, quae extra folū progressa est, reperietis. Haec, uti audierat, puella praefectae nunciauit. At ipsa illud fictum esse existimans, nunciae uerbis nullam adhibuit fidem: cui iterum ad Virginē confugienti, ipsa praecepit, ut incredulam moneret, uti incredulitatis illo peccato sacerdoti prius patefacto, nudis pedib. per totum coenobiū ambularet; deinde illud pure, ac sincerè perageret, quod prius iussū fuerat. Nullam ergo moram produxit; sed ijs omnib. praefititis quae Virginis nomine praecepta fuerant, florentis rosae indicio repertum equitis cadauer, in sacro loco sepeliendum, non sine maximo honore, fubnebrisq. precationib. curauit.

MIRAC. VIRG. XLIII. idem

Pictorem cadentem Virginis imaginis, quae ab ipso tunc pingebatur, manus retinet.

BElga pictor praestantissimus consueuerat semper Virginis imaginem omni pulchritudinis genere studiosè exornare. Quod si cacademus pingendus erat, eum turpisimum, & foedissimum summa ope exprimere conabatur. Eam ob rem maxima ira accensus improbisimus noctu dormientem pictorem adiuit, ab eo caussam flagitans, cur secum tam gruem

LIBER PRIMVS.

77

grauem simultatem, & tam capitale odium exerceret.
Respondit ille, tecum mihi perpetua discordia erit,
animusq. meus in te hostili malevolentia semper erit
perfusus, postquam eorum, quae hic malè gero, mihi
semper impulsor es, & auctor; neq. nunc turpissimis
conatib. constantiam meam cessas attentare. taetra
bellua discedens ei acriter minata est; dignas poenas
datum iri dicens, ni laedendi finem, ac modū fecisset.
Sed eius minas nihil faciens pius, bonusq. pictor, qui
à Dō solum pendere statuebat, eum etiam deformis
simum pingebat. tandem uerò in cuiusdam tépli por-
ticu, & ingenio, & praestantib. colorib. mirifice Vir-
ginem exornabat; sub cuius sacris pedib. tenebrico-
sus Satan ita deformabatur; ut nihil turpius dici, aut
existimari posset. incredibili dolore bellua contabe-
scens, afferes, & contignationes, in quib. sedebat pi-
ctor, statim disiecit. Sic igitur miser praeceps ageba-
tur; cùm maximo timore perculsus animum, & manū
ad Virginis imaginem, quam nondum perfecerat, re-
pente extulit. Ipsa uerò, quae semper prostratos eri-
git, & quae afflictos sustinet, dexteram pictori porri-
gens, illum grauissimo casu decidentē retinuit. Quod
cùm à plurib., qui aderant, spectatum fuisset; nō sine
maxima laetitia immortalib. laudib. sanctissimū Vir-
ginis nomen praedicabant: contrā uerò cacodaemo-
nem maximo irridebant risu.



MI-

MIRAC. VIRG. XLIV.

*Damasceno dissectam dexteram Virgo restituit, quia falso
iudicio fuerat multatus.*

Ioannes Damascenus tā diuino ingenio excelluit; ut, cùm Graecis litteris operam daret, uix duodecimum annum agens, liberaleis omneis disciplinas didicisset. Verùm, quia omne studium ad Deū, Virginemq. purissimam colendā traduxerat, à mortalib., & à caducis reb. discedens se se in sanctū coenobium abdidit, uirginitatis suae puritatem in uiolatè sub Virginis fide seruaturus. Ac quidem sanctissimae tutricis laudes semper in eius ore uersabantur, praeter etiam quotidianarum obsecrationum tempora; semperq. in animo dulcissimum illud nomen sculptum manebat. Huic, ob eximias uirtutes, sacerdotis dignitas, atq. honos delatus est. Quarè saepius ad Virginis memoriā recensendā, Deo rem diuinā, & sacra facere sueuerat. Praeterea à foecundo, & diuite eius ingenio quotidie multa soluta, ac uincta oratione proficiscebantur, quae posteā, ubi festi dies adueniebant, non sine maxima suauitate, dulciq. concētu ipse in templis canebat. Eò deinde eius eruditio-
nis, & probitatis fama processerat; ut ad ipsum multi erudiendos liberos mitterent: quos ipse non solum li-
beraleis disciplinas, sed etiam ea potissimū docebat,
quib. puerilis aetas ad pios mores, Deumq. sanctè co-
lendum instrui, & informari folet. Fortè ex urbe, cum
sibi demandatis adolescentib. exiit. unà igitur omnes
longiorib.

-IM-

longiorib. spatijs distracti , uariatis sermonib. tem-
pusterétes in Christiani nominis , hostium manus
inciderunt; à quib. capti cum maximo Christianorum
captiuorum numero in Persiam perducti fuere. Diui-
sa inter pyratas' praeda, Damascenus ditissimo , &
opulento homini obtigit; qui eius probitate perspe-
cta, & cognita uirtute, illum non ut captiuū tractabat,
sed diligebat loco familiaris , & amici. Quin immo,
cū illi esset unicus filius, quem plus oculis suis ama-
bat, eum Damasceno , quem scientia praecellere in-
telligebat, commisit. eius assidua diligentia , breuissi-
mo tempore, puer omnib. scientijs, ac disciplinis im-
butus, & eruditus est. Praeterea in omni scribendi ge-
nere ita excellebat; ut quae a discipulo proficisci-
tur, minime a praceptoris scriptionib. different; sed
cum illis egregiè possent comparari. Practer cetera
autem affabré Damasceni scribendo notas imitari
didicerat; ita ut quae discipulus scribebat, propria
praeceptoris manu scripta uiderentur. Iam apud ho-
stes duodecim annos Damascenus fuerat, in catho-
lica religione constantissimus , diuinoq. cultui dedi-
tissimus; cū fama à Theodosio imperatore notus ab
ipso redēptus, & accersitus est. Incredibile est, quām
honorifice eum postliminio, redeuntē imperator ex-
cepit. Ut uero commodius diuinis reb. perpenden-
dis, Deoq. operam dare posset, illum Theodosius coe-
nobio praefecit eidem Abbatis dignitate delata . cū
illo postea saepe secedens sane lōgos sermones de hu-
manat uitiae cōtemptu, & de animae salute consume-
bat. Verū, licet Damascenus apud Imperatorū gra-
tia maximè polleret; tanta erat mansuetudine , ut
nunquam

volou

nunquam illum animo elatum quisquam uiderit.
Neq. uero ullam iacturam iccirco faciebat, in ardent-
ti illo studio, quo propria quadam mentis inductio-
ne, Christum, Virginemq. semper complexus fuerat.
Sed quotidie magis, magisq. eorum desiderio, & amo-
re flagrabat. Dum interea quiete ille Deo inferuiret,
felice ac beatam uitam degens; adolescens ille quem
in captiuitate sua tam amanter omni disciplinarum
genere instituerat, aegre ferens quod ad Christianos
redijset; sancti uiri honestum otium perturbare con-
stituit. Quia ergo eius in scribendo manum imitari
sciebat, litteras conscripsit, quae uerè a Damasceno
scriptae uidebantur. Eas autem clam Bizantium mi-
sit in ipsam regiam ut ab aliquo repertae ad Imperato-
rem perferrentur. litterarum exemplum huiusmodi
est.

IOAN. DAMASCENVS PERSIS,
DE SE B. M. S. D. P.

Quod me captiuum tam liberaliter, & honorifice
tractaueritis, perpetua habebo gratia. Ut au-
tem pro immortalib. à uobis beneficijs in me collatis
aliquid rependam, in eam curam incumbo, ut ea pae-
stare possim, quae uobis, ac dignitati uestrae fausta,
& fortunata eueniāt. Cūm igitur Imperatoris copiae
ad bellum terra, mariq. contra finitimos sustinendū
diuise sint, & dissipatae; ciuitas militib., & fortib.
ciuib. exinanita est. commodissima nunc uobis op-
portunitas offertur pulcherrimi, & praeclarissimi in-
cipiendi facinoris. cauete, ne nunc occasio praeter-
uolet

frustra .n. postea illam quaeretis. parua militum manus, Byzantio, eiusq. Imperio potiri, facillimum erit; maturate, nec expurgescamini, aut cunctemini. si uiri estis, uobis in manu est uictoria. Valete.

Repertae literae delatae sunt ad Imperatorem, qui intimo dolore coepit diuelli, illas a Damasceno scriptas existimans, quem tantopere diligebat. Accersito illo, et si se maximis fletibus, & lacrymis purgabat; negabatq. se unquam machinari potuisse Christianae reip. perniciem; id tamen minimè poterat iudicib. persuaderi, quorum in animis iam illa opinio impresa erat. litteras ideo exhibuere, quas profectas fuisse ab ipso, uere opinabantur. At illis ipse respondit, simillimas quidem suas esse illas notas; sed suas uerè non esse, at ab aliquo effectas; neq. uero se excogitare tam scelus atrox ausum fuisse, nedum patrare. Cur. n. ego illis perniciem quaeram, inquit, pro quorum salute, imperijque propagatione quotidie in sacrificijs ex animo uota suscipio. Verum cum opinio illa minimè euelli posset, damnatum Damascenum poenam sequi oportebat, ut ei securi caput percuteretur. Sed asperam illam sententiam Imperator pro ea benevolentia, qua damnatum prosequebatur, leniri iussit. Capiens n. supplicium in dexteræ poenam mutatum est. Decretum igitur fuit, ut ei truncaretur dextera, quam scribendo deliquisse dicebant; eaq. pro illius templi, cui ipse praeverat, foribus defigeretur, uulgo horribile spectaculum. Ea re absq. ulla mora facta, aequo animo ipse omnia perpessus est; maximas etiā ob infortunium gratias Deo agens. Illud tamen unū malde eius animum opprimebat; quod ob dissectam

incolam

L manum,

manum, sacrificia Deo, praesertim ad Virginis memoriā, quod saepè consueuerat, minimè facere posset. Quamobrem templum adiens, coram Virginis simulacro, cruentum adhuc sanguine brachium nudauit, & ita flens loqui coepit. Non ne, clementissima Dei parens, si ob scelerata mea malè multandus eram, alia de me supplicij sumendi uia patebat, quam perpeti, ut ea mihi manus auferretur, qua tibi quotidie hymni, laudesq. scribi consueuerant? Eheu, pia regina, cur manum illā dissecari passa es, qua filij tui sanctissimum corpus quotidie in sacrificiis efferebatur? His dictis, uelans brachium, abijt. Fortè autem noctu, cùm in lecto iaceret, nec posset somnum capere, ob anxias solitudines, quib. afficiebatur; aduenit Virgo, quae ex illo quaesivit, quidnam ageret, & quo in statu esset. Ipse uero respondit, En, o Virgo, quā malè tecum actum est? cur tu à me tam sancte, & pie culta, & obseruata, mihi opem non tulisti tunc, eum manus fuit abscisa? Ego tuo numini sum deditissimus, tuorum aduersariorum semper fui hostis acerimus: pro te uel emori, uel sanguinem possum profundere. Quanto ergo gaudio hostes tui perfundentur, cùm tam male clientem tuum tractatum uideat; neque tu eius caussam complexa fueris, quem facilimè tueri poteras? Coeli regina illum sereno uultu intuens, appositiè consolata est, futurum dicens, ut ab eo rege manus restitueretur, apud quē nihil est ἀνύκνον, qui solo nutu, ac supercilio terras, maria, coelumq. effecit, ac creauit. Vix ea dixerat, cùm duo Angeli, ipsius Virginis iussu, manum templi forib. appensam, ad ipsam adtulerunt; quam postea eandē ita praeclarè Damasceni.

mascenibrachio adiunxit, ut nemo dicere posset, illā unquam disiunctam fuisse. Ipse uero quot ei gratias egerit, quām eximijs laudib. eius nomen extulerit, uos conicite. Summo praeterea mane restitutam manum monacis ostendens, incredibili illos laetitia cumulauit; qui admirabilem Virginis unā omnes pie-tatem praedicabant. Miraculi fama cū per uni-versam ciuitatem uagaretur, ab Imperatore etiā re-scritum est; qui statim ad coenobium properans inue-nit Damascenum rem diuinam facientem, cui etiam ipse piē, ac religiosè interfuit. Sacris solemniter per-actis eius dexteram Imperator exosculatus est, non sine lacrymis se purgare contendens, quod in fraudē inductus tam seuero iudicio illum dānari passus fu-is-set. Quaesuit deinde diligenter, an quisquam Da-masceni scribendo notarum imitator inueniretur. Nemo nisi Persa ille ipsius discipulus compertus est. Iccirco in Persiam missi fuere, qui diligentī indagi-ne illud uestigarent. Quare in lucem scelus prodijt; idq. liuore, & odio, à Damasceni alumno factum fuisse, constitit; qua de re Theodosius certior factus tantum flagitium impunum abire non permisit.

MIRAC. VIRG. XLV.

Iuuenis Satanae astu, et dolis, de fide christiana dubitabat, cum à Virgine ita in christiana lege confirmatur, ut postea in eo perspecta, & probata sanctitas enituerit.

A pud Belgas iuuenis acerrimo ingenio praedi-tus, multisq. scientijs eruditus, qui D. Franci-

L 2 sci

sci religioni nomen dederat, cum sacrae theologiae studijs operam daret, forte miser in catholica, christianaq. fide haesitare coepit. Fatua n. & inepta diligentia perquirebat, cuinam è trib. primæ deferendæ essent, Hebraeæ ne, an Christianæ, an eorum, qui Gentiles dicuntur, legi. Id autem eueniebat, quia ad sua studia, uti par erat, diuinæ precatio[n]es primū non adhibebat, & illum sibi ducem non exposcebat, à quo est omnis scientiae fons, origo, & principium; à quo omnis scientia fluit, manat, & proficisciatur. Si n. ab illo sinceram, ac puram mentem petiisset, nae theologicae ueritatis clarissimum lumen sibi praelatū sensisset. Iam uero cùm Hebraeis consenuebat, illisq. nimium tribuens, in eorum sententiam discesserat. Itaq. intimi, & familiares, miserum ex assiduo sermone labi, & errare sentientes, illum in euangelica lege confirmare conabantur. At ipse insidiös, & fallacis Satanae impulsu, qui quotidie struēdis nobis insidijs assuefecit, non modò non statuebat ab illo errore defiscere; sed etiam à uera religione penitus digrediēs è coenobio fugam adornabat, ac meditabatur. Vix porta pēdem extulerat, cùm lucidissimam huius maris stellam uidit, quae nos mortaleis undis iactatos in eum portum perducit, à quo nulla reflavit uenti ui, aut impetu arceri possumus. Ea itā allocuta est infelicem coenobitam, iam turpissimam, & indecoram fugae deditum; cur de ijs dubitas, cur ea facta esse existimas, quae sunt uerissima? re igitur decipi pateris in firmissima, & catholica filij mei fide, qui nec fallere, nec falli unquam potest. Iam tibi non debet ignorantum esse, quot quantisq. errorib. se adstrinxerunt, &

quanta

quanta in coecitate illi uersati fuerint ; qui Idola in cultu habuerunt. Neq. uero tibi amplius dubitandū esset, quin ita Hebraeorum oculi perstricti sint, ut iacentes in pertinaciae situ, ac tenebris, nec boni quicquam, nec ueri fateri, aut dignoscere uelint . Quod si in euangelica fide adhuc animus tuus labascit ; uide, quantopere desipias, qui in ea re firmitatem esse non existimes, quae praeter cetera trib. solidissimis colunnis ita fulta, & firmata est; ut nulla unquam ui, aut impetu diuelli, aut erui possit . Dicerem etiam , quam praeclarum illi ornamenti afferant tres ille uirtutes, quas tu uouisti, ni te id facillime scirem, humilitatis, castitatis, & caritatis luce oblata, tunc perspecturum; cum illae tenebrae sublatae fuerint , quae tibi ueri lumenis atiem praestringunt . Ut autem haec uera esse existimes, sciro me esse Dei genitricem, sub cuius tutela uester hic ordo fuit institutus; & cuius pietate factum est, ne casta tua iuuentus deciperetur, aut aliquo duceretur errore . Itaq. Virgo discendens laetum, & in christiana religione penitus confirmatum iuuenem reliquit . At ipse posteā in ea tam firma iecit fundamenta , ut theologiae interpres insignis factus christianam pietatem multos docuerit, tam scientia, quam uitiae probitate, & exemplo .

MI-

102

MIRAC. VIRG. XLVI.

*Virgo non patitur, ut mulier Satanae impulsa fraudib. se
submerget; eidemq. etiam tria uulnera curat, & à morte susci-
tas: per quā ad christianum cultum etiam Hebraam perducit.*

IN Germania ob atrocia bella, quoddam uirginū Deo consecratarum coenobium ita dirutum, & disiectum fuit, ut singulae uirgines, quae ibi castè Deo seruiebant, paternas, & affinium domos reperi-
re cogerentur. Vna ex illis, cui nomen erat Agnes, cùm patris domum rediisset, quia forma, & praestati facie excellebat, ab ipso patre ui compressa, & graui-
da etiam facta est. Quare, cùm se perpetua infamiae labe adspersam intelligeret, pudore suffusa effugit; & in itinere edidit partum. In miseram omnium scele-
rum auctor, & architectus insidiosus fraudulentū in-
genium intendit, habitum induens cuiusdam coeno-
bitae, qui cum Agnete erat sanguine coniunctus. In-
felici igitur paullatim suadere coepit, ut in proximo lacu infantem demergeret, ne ob nefandum cum pa-
tre incestum admissum, familiae, eiusq. affinib. in sem-
piternae ignominiae fordib. esset uersandum. Vix. n.
fieri posse dicebat, quin uiuo filio, scelus elucesceret.
Quarè scelesti uerbis circumuenta, cacodaemonem uerè affinem, sibi utilia consulente credens, natum in lacum projicit. Vita infans priuatus fuit, cùm uix hanc coeli lucem aspexisset. Neq. uerò hoc satis erat, ad explendam indomitam hostis nostri libidinem.
Iam. n. perditae mulieri grauitatē criminis ante ocu-
los

los proponens, effecerat, ut triste de se cogitare inciperet; & iam caperet consilium de morte sibi consicenda. Paullatim n. eam in frandem inducebat, ut tristeis nati inferias persequens, se ipsam in lacū abijceret, & uitam uoluntaria morte abrumperet. Tandem ubi mulieri frāus patuit, fallaciaeq. apertae fuerunt, ipsa Virginem rogauit, ne sibi in tanto periculo deesset; quam tanto animi ardore obtestata est; ut improbum, quem sibi prius cognatum crediderat, in fumum uanescentem uiderit. Virgini deinde gratias agens animum meliori spe alebat; & ad proximā urbēm perueniens, honestae matronae aliquot dies inseruiuit. Ab illa paullo post missā fuit ad nutriendum Hebraeae, quae Sarradicebatur infantem, ubi quinquennium morata est. Eo tempore ita patrati facinoris conscientia afflictabatur, & admissum crimē tam ex animo deplorabat; ut in eius ore nunquam quisquam risum, nec in uultu iucunditatem uiderit. tota. n. luctui, ieconijs, & obsecrationib. erat dedita. Praeterea apud heram tam eximijs laudib. Christū, ac Virginem prosequebatur; ut iam Hebraea animū ad perdiscendam illam precationem, qua summum regem precamur, & Angelicam salutationem, appulisset, à Iudacorum instituto discessura. Interim uero Agnes incredibili desiderio flagrabat caedis, & incestus expiandi. Quamobrem Romanum Pontificem adjit, cui Christus quorumcunq. grauium, ac detestabilium scelerum expiandorum parteis dedit. Ille clementissimus omnium Christianorum parens, admirabili, ac infinita potestate, quam à coelo habebat, cupidissimam Agnetē absoluit; quae laetissima.

tissima in patriam rediens , Hebraeam illam inuisit , à
qua liberalissimè , & amanter tractata fuerat . Fessa
autem iungi itineris labore in ipsius herae cubili , su-
per eiusdem lecto somnum cepit . Ad uesperam do-
mum reuertens Hebraeae maritus in lecto collocatā,
ac dormientem Agnetem comperit , de qua toties du-
bitauerat , ne uxorem seuocaret à Iudeorum institu-
tis . Ille ita repente ira , ac furore exarsit , ut somno
oppressae , & in utramq. aurem dormienti tria morti-
fera uulnera in pectus intulerit . Iccirco , cùm uxor eā
ob rem maximo moerore conficeretur , maritusq. pa-
trato facinore abiisset , ipsa in somnis uidit Virginē ,
proficiscentem ad mulierem , quae uulnera in pecto-
re acceperat . Ea benignè singulo uulneri apposita
remedia attulit , coelesti quodā unguento , quod can-
didissimae adolescentulae trib. uasculis adulcrant .
Iccirco mulier paullo post a Virgine allato remedio
uitam adepta , abijt . hoc Sarrae fuit insomnium . Do-
mū Iudeus rediēs , ea minimè reperta , quam se occi-
disse credebat ; opinabatur illā ab uxore fuisse sepul-
tam : contra uero uxor eorum , quae dormiēs uiderat ,
immemor , ab ipso humatā fuisse existimabat , ne de-
tecta caede , periculum aliquod afferretur . Sed uerè
Agnes resurrexerat , ut Hebraeae , insomnio illo fue-
rat patefactum ; atq. illinc incolumis abierat . Iam ue-
rò quadraginta dies posteà praeterierant , cū Agnes
ipsis coniugib. Iudeis properè salutatis , ex illorum
conspictu statim refugit ; quae res maximam admira-
tionem aduluit marito , quod illi uita restituta esset ,
quam proprijs manib. occiderat . Illi uxor , ne mire-
ris , inquit ; Christus , n. rex potentissimus , quam ipsa
semper

semper uoluit, qui à mortuis homines suscitat, multò etiam maiora potest facere. At maritus irae ardore accensus respondit; en sclesta, id, quod semper ueritus sum, iam facto comprobatum est: te illa subduxit, tuq. à fide nostra penitus digressa es? Quare uxorem thalamo inclusit, ut ibi, quandiu uiueret, maneret. Biennio post, cum in semotissimas regiones maritus secessisset; ipsa prægnante uentre, cū duob. filijs, & filia, sanctac Romanae ecclesiae iusurandum dedit, una cum liberis in sacrato, & purissimo baptismatis fonte se omni culpa abstergens. Sed quia ibi, se à mariti infidijs non satis tutam putabat, in Coloniensem ditionem secessit; & Sarrae nomine mutata se Gertrudam appellās, ibidem fortè in Agnetem incidit; quae res utraq. maxima cumulauit laetitia. quae si uuit ipsa Gertruda ex Agneta, quanam coelesti ope uita comparata fuisset, quae prius trib. letalib. uulnerib. in pectore fauciata conciderat. Respondit Agnes subridens id sibi uisum fuisse, cùm dormiret; & ideo illius insomniij timore somno se excitatā fuisse; & ab impij Iudaei manib. sibi in fuga praesidium, ac salutem posuisse. Quare nudato pectore, durissimoq. cilicio amoto, in ea parte cicatrices uisac sunt, cui impium maritum manum afferentem Gertruda uiderat. Id cùm Curradus Coloniensis Antistes intellexisset, & ipse, & christiani omnes solidum gaudiū gauisi fuere. Paullò post autem Agnes è corporis carcere sanctissimè soluta est, anno c. 12. cc. lxv. Gertruae uero superstiti magis, magisq. indies erga Deū, uirginemq. religionis flamma in castissimo pectore crecebat.

M M I-

MIRAC. VIRG. XLVII.

Maria infectum pueri, sibi diuinissimi caput curat.

Dignissimum est, quod alijs etiam miraculis inseratur id, quod coenobita quidam, qui Adam dicebatur, amico suo narravit. Cū n. ille puer esset, ita inquinatum caput habebat, ut pefsimè oleret, ut eius aditum omnes refugerent. Quicquid tamen illud erat, semper aequo animo ferebat, se Christo, ac Virgini piè commendans. Ac praeter cetera dum ad litterarum magistrū accederet, quotidie consueverat trāsire per templum Virgini sacram, in quo prostratus illam salutare, eiusq. mansuetudinem piè inuocare. Quinimmò in more posuerat, ut illac noctu saepè se conferret, uti nocturnis excubijs, quae ibi celebrabantur, interesset. Fortè autem quadam nocte aeris campani sonum exaudiens, quo de more in illo téplo matutinae obsecrations indicebantur, illuc accesit. Sed quia clausa erat ianua, minimè ingredi potuit. Extra autem sacram tam aedem, quae consueverat, piè, ac sanctè peregit. Vix ea praestiterat, cùm statim fores patere, atq. omnia intus diuina luce splendescere, & collucere aperte conspexit. Itaq. illuc ipse ingrediens ante facellum maius septem mulieres praestanti, ac coelesti facie unà confidenteis uidet. Earum uero pulcherrima ita locuta est. cur, bone puer, ad curandum tuum hoc caput aliqua remedia non parantur? cui respódit puer. Nihil parentes mei intentatum reliquerunt, in eam rem

IM M

LIBER PRIMVS.

91

rem studiosè incubentes, ut teterima ista lues expelleretur: Sed nunquam id fieri potuit. Ego uero Virgo, inquit, toties à te in hoc templo piè uocata, toties à te diuinis laudib. exornata, ut tibi curarem caput, nunc adueni. Hodie aqua fusilis ligni fructib. permista ter caput abluito, inuocato prius Deo parente, filioq. & diuino spiritu. Tuo. n. arbitratu statim curaberis. Praeterea benignissima ad se puerū proprius iubens accedere, sanctissimaq. manu eius caput attingens, illi pollicita est, futurum, ut nunquam dolore capitinis postea laboraret. Domum ille exsultans rediit, & ab ancilla ea paranda curauit, quae Virgo dixerat; statimq. caput expurgatum est. nec unquam postea, dum uixit, Virginis immortali beneficio labo rauit ullo dolore capitinis.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

MIRAC. VIRG. XLVIII.

Iuuenis, qui studijs operam dabat, animam Virgo in coelum perfert, ut ibi summa cum pace, aeterno aeuo frueretur.

IN ciuitate Hunnensi mulier, quae in abditissimo, ac semotissimo loco sanctissimam uitā degebat, è speculae rimis quadam nocte non minus splendidam lucem uidit, quam si meridianus sol illuxisset. diei ipsa lucem esse existimabat. Quarè statim surrexit, incredibilem dolorem capiens, quoddam sero in lecto retenta non satis assuetarum prectionū muneri fecisset. Aperta ergo specula uidit, illam non solis, aut diei lucem, sed tantum ab ea quoddam sepulchrum septum esse, in quo paullo ante iuuenis se-

M 2 pultus

MIRAC. VIRG.

92

pultus fuerat, qui incumbebat grauiorib. studiis. At splendor ille proueniebat è diuina muliere, quae candidissimam columbam antè sepulchrum stantem in sinu receperat. licet ibi abdita mulier piaeclare inteligeret, quaenam esset augusta illa matrona, eam tamen obsecrauit, ut se, nomenq. suum patefaceret; quod ipsa benignissimè praestitit. Dixit. n. se Dei matrem esse, & illuc iuisse, ut studiosi illius adolescentis ad coelum animam ferret. Nam inquit, integri, & innocentes, qui studijs acriter insudant, ut illis ad Dei gloriam, & hominum commoda posteà utantur, cum illis ferè comparari possunt, qui pro Christo sanguinem effuderunt. His dictis, unà cum niuea illa columba, Virgo in coelum abiit, animā purissimam illuc perducens, ubi immortales coelo, ac uita fruuntur sempiterna.

MIRAC. VIRG. XLIX.

Terra uirga ter contacta, è solo tria candidissima lilia produunt; è quib. almae Virginis puritatis candor cuidam aperiè ostenditur, qui Satanae astu instinctus de ea re dubitare confuerat.

IN D. Francisci uita res memoratu dignissima legitur, quam superioribus inferere operae premium est. Aegidij. n. uiri beati temporib. quidā, qui sub D. Dominici signis militabat, saepè molestissima, & impia dubitatione labebatur; & impellebatur in fraudem & errorem. frequentissimè secum miser perpendere cogebatur, qui fieri posset, ut coelestum regina

regina intactam semper, & puram uirginitatem seruauerit, cum tamen peperisset filium. Verum, quia illud cacodaemonis dolo euenire perspiciebant; omnixè omnia facere conabantur, ut ui, & impulsu feri hostis nostri insitam illam turpem haesitationem ex animo euelleret. Itaque sciens eo tempore Aegidiū summa excellere sanctitate, illum adire, & conuenire statuit; & ei re omni aperta, ab eo in tanto periculo opē, ac consilium exposcere. Eius aduentum Aegidius sancto afflatus praeagiēs, illi obuiam procescit; & ante quam propius accederet, ligno, quod manu continebat, solum concutiens dixit; o coenobita, Maria liberata, & pura fuit ante partum. Vix haec ita locutus fuerat, cum repente ibi mirae pulchritudinis, & eximij candoris lily natum est. Iterum etiam cum idē fecisset, inquiens, Virgo in partu, ibi contacta tellus lily edidit. Pergente deniq. dicere, ab ipsa, post partum uirginem florem conseruatum fuisse, tertium lily niueis candore exsuperans, ibidem ortum est, ubi terram percusserat. His diuinitus peractis Aegidius, nihil moratus abiit. Ea res quantam ijs, qui uiderant, admirationem adtulerit, uos coniicite. Breuisimo post tempore illa fallax, & fraudulēta opinio ex eius animo, huius miraculi ui, & Dei matris summa clementia fuit euulsa. Ipse ideo uirgini, & filio gratias agere, eius clementiam aeternis prosequi laudib., & purissimum eiusdem uirginitatis nitorē ubiq. praedicare. Quid uero ad Virginis candorem, & integritatem significandam aptius esse potest, quam lily in septis, secretisq. hortis natum? quod nullo ungue carptum, à nemine contactum, nunquā defloruerit?

rit? Quis n. tam stolidus, aut stipes est, qui istud probè non nouerit? Quis tam impudens est, & rationis expers, qui in hac re quaerere nodum, & dubitationē audeat? Quousq. perfidi hostes Christiani nominis id diffitebimini? Quae iam mens uestra est? qui animus? Quae uos in Hircanis montib. fera nutrijt, cū in tam impiae temeritatis flagitio adhuc manere decernitis? Ergo ne impuro, & inquinatisimo ore rabilae ac maledici de Virgine obloqui audetis, quae uerum est diuini spiritus domicilium? quae semper pura fuit, & illibata? Adhuc ne alia rei constantissimae argumenta quaeritis? Non ne satis cā didissima illa lilia, diuinitus exorta id comprobant? adhuc ne dubitatis; quin rex ille, qui omnia solo nutu creauit, & apud quē nihil est *& οὐνατὸν*, id quoq. facere potuerit. Itaq. uniuersae orbis terrarū gentes summa animi attentione, & exquisita uocis dulcedine canāt, V I R G O ante partum, uirgo in partu, uirgo post partum.

MIRAC. VIRG. L.

Virgo filium osculandum dat Currado, uiro beato; ut & ipse eius laetitiae particeps fieret, quam Simeon olim perceperat, dum illum in templo inter ulnas contineret.

Vitam puram, & coelo dignam Curradus, uir beatus in coenobio agebat. Quodam die in remotissimam filuam secessit, in quam saepe se conferre consueuerat; ut coelestium rerū meditandarum facilior potestas daretur. Id, cūm Petri, sanctissimi uiri animus diuinasset, quid aeturus esset, clam

clam coepit obseruare. At Curradus abditissimam partem petens, in qua nec uideri, nec audiri se à mortali quoquam opinabatur; maximo animi ardore, lacrymas profundens, Virginem orabat. Id eam ob: rē sedulo, & attentē agebat; ut aliquantulum eius suauitatis, & gaudij Virgo sibi impertiret, quo Simeon perfusus fuit, cūm purificationis die Christum osculatus, & amplexus est. Eius preces benignissimè Virgo audiens statim aduenit, tanta luce, ac splendore effulgens, ut nihil unquā in terris lucidius uisum fuerit. Currado igitur formosissimum prae filijs hominum infantem osculandum, & amplectendum dedit; cui lacrimae gaudio cadebāt, dum mortalium liberatorem osculabatur. Petrus, qui haec clanculum è sylua speculabatur, & ipse mirificam iucunditatē exhaudiebat. Tandem post Virginis in coelum ascensum, utroq. ad coenobium redeunte, Petrus Currado gratulabatur, qui tam eximiae meditationis illo die compos factus fuisset, eundem faustum, & fortunaru diuinarum rerum meditatem appellans. Sed ipse illud diffitebatur, quod à nemine uisum fuisse existimabat. Verū Petrus, non ne ego, uidi, inquit, tecum blāda uoce, ac sereno uultu coeli reginam loquentē? quae deinde tuum in sinum paruum natum adulit, quē tu exosculans totus laetitia serio triumphabas? Sentiens ergo illud apertum esse, quod ignotum, ac tacitum credebat, qua erat animi submissione, amicū obsecrabat, ut illud taceret. Non aegrè tamen ferebat, quōd ille, quem fratriis loco diligebat, ea uidisset; postquam solus aderat. Ibidem beatus iste uir cacaemonum infinitum numerū, qui contra adolescētulam

tulam crudeliter saeuiebant, fugauit, & expulit. Veritus autem, ne à seruatae puellae matre, & cognatis conueniretur, & ad se multi confluenter; illinc dedita opera abijt. Sed perpendamus, quaeſo, ac diligenter consideremus admirabilem illam laetitiam, qua sanctus uir fruebatur; cui uirginem, ac filium oculis aspicere, animo intueri, & contemplari cōtigit? ò ter beatum illum, & amplius. Huiusmodi bonis immortalib., ac beneficijs, aequum est credere, cumulatos ſaepius uifis antiquos eremitas, qui ab huius mundi illecebris, & fluxis uoluptatib. quib. haud difficulter hominū genus capit, diſcesserant. quin immò & his reb. eos nunc perfrui, censendum est, qui omnino huiuscē uitae ambitione, & fastu abiecto, ac relegato, integrè, & ſincerè Deo inſeruiunt. At haec minimè multis ſunt explorata; cū iij, à quib. p̄aeclara illa cernuntur, adeo animo demifſo ſint; ut tacito in ſinu gaudent; nec illa cuiquam pateſciant; nec cum mortali homine communiceſt; ne ſanctitatis nomen, aut famam tibi quaerere uideantur.

Libri primi finis.